DE THEOCRITI VITA CARMINIBUSQUE SUBDITICIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

LEGITIME IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN ALMA UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

OBTULIT

CAROLUS BRINKER.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXIV.

REF.: **F. LEO.**

LUDOVICO BRINKER

PATRI OPTIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

CAROLUS FILIUS.

A. De vita Theocriti.

Theocritus quin Syracusis[1]) natus sit, hodie quidem non iam potest dubitari; apertissimum enim est ex id. XI v. 7: ὁ Κύκλωψ ὁ παρ' ἁμῖν et XXVIII 16—18: ἀμμετέρας ἔσσαν ἀπὺ χθονὸς. καὶ γάρ τοι πατρὶς ἂν ὤξ 'Εφύρας κτίσσε πότ' Ἀρχίας νάσω Τρινακρίας μύελον, cum falso Holmius (Gesch. Siciliens 1874, II 495) et Hempelius (quaest. Theocrit. Kiliae 1881, p. 6) huc rettulerint id. XVI 8: αἱ δὲ σκυζόμεναι γυμνοῖς ποσὶν οἴκαδ' ἴασι. ubi patet verbum οἴκαδ' non significare „ad Hieronem i. e. Syracusas" sed „domum meam, ubi κενεᾶς ἐν πυθμένι χηλοῦ . . μίμνοντι et ἔνθα . . σφισὶν ἕδρα."

Parentibus usus est Theocritus Praxagora et Philina, quod discimus et ex Suida s. v. Θεόκριτος et ex epigrammate quod legitur in Anth. Pal. IX 434: Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος sqq.

Praxagoram eundem esse ac medicum illum Coum, qui erat magister Erasistrati (hic in hyp. ad id. XI vocatur συμφοιτητής Niciae medici Milesii, amici Theocriti) et Philinam matrem ipsam quoque Coensi e gente natam esse, Hempelius l. l. 8—9 suspicatus est, quae tamen coniectura nullis nititur certis argumentis.

Theocritus ipse in id. VII 21. 50. 96 Σιμιχίδαν sese appellavit, quod nomen sunt qui credant pseudonymum[2]) esse et

---

[1]) Syracusanum recte Theocritum iudicarunt recentioris aetatis viri dd. Haulerus, de vita et carminibus Theocriti, Friburg. Brisig. 1855, p. 6. Assmus, quaest. bucol. spec. I. Berol. 1856 fin. Sharpe, Gesch. Aegyptens, deutsch bearbeitet von Jolowicz, revid. von Gutschmid, II. edit. 1862, I, 201. Holmius l. l. p. 495. Hempelius l. l. p. 5—6. Couat, la poésie Alexandrine, Paris 1882, p. 38. Coum putarunt Theocritum Fritzschius, de poet. gr. bucol. Giess. 1844, p. 3. Ahrensius, in Phil. VII, 412. Ribbeckius, preuss. Jahrb. 1873, p. 77, cf. etiam edit. carmin. Theocr. Fritzsch. Hiller. praef. ad id. VII.

[2]) Cf. schol. VII, 21: ἢ καθὸ σιμὸς ἦν; schol. III, 8. Welckerus, kl. Schrift. I, p. 4 adn. 7. Ribbeckius l. l. p. 77: er lässt sich Simichidas nennen, mit seines Grossvaters Namen, den er in der Poetenzunft getragen haben mag.

accipiendum similiter atque ex. c. Asclepiades in id. VII 40 et ab aliis poetis vocatur Σικελίδας, cf. Wilamowitzium, de Lycophr. Aless. in ind. scholl. gryphisvald. 1883, p. 13. Attamen ego quidem cum Haulero l. l. p. 6 sqq. et Hempelio l. l. p. 7 sqq. puto, verisimiliorem esse sententiam scholiastae ad id. VII 21: φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον sc. Σιμιχίδαν ἀπὸ τοῦ πατρῴου (sic verissime emandavit Haulerus pro codicum πατρίου v. πατρωιοῦ) κληθῆναι Σιμίχου [1]) (sic scribendum est pro Σιμιχίδου, cf. schol. vet. ad III 8: ἀπὸ Σιμίχου πατρωνυμικῶς, cf. Ahrens. in edit. Theocr. II, p. 454) τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων [2]) οἵτινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν. Nonne hoc ex testimonio satis intellegitur, cur Theocritus in c. XVI, 104 sqq. Ἐτεοκλέους Χάριτας (de Gratiis Orchomeniis cf. Pind. ol. XIV) φιλεοῦσας Μινύειον Ὀρχόμενον ἀπεχθόμενόν ποτε Θήβαις advocarit? Quod si ita est, sequitur, ut Philinam credamus Praxagora mortuo Co in insula Simicho nupsisse, qua in insula ipsa ex id. VII scimus, Theocritum adolescentem moratum esse, cf. Hempel. l. l. p. 8 sqq.

In carminis XVII versibus 86—92 cum verba σαμαίνει et ἀνάσσονται indicent, Ptolemaeum Philadelphum circa natale tempus illius carminis integra usum esse possessione Pamphyliae, Ciliciae, Lyciae, Cariae terrarum et Aegaei maris Cycladas insulas subdicione tenuisse, verbo ἀποτέμνεται Theocritus adeo non, sicut Haulerus l. l. p. 19 contendit, id voluit dicere, Ptolemaeum partes possidere Phoeniciae, Syriae, Cyrenae [3]), Aethiopiae, ut quasi digitis monstraverit [4]) bella illa duo, quae Ptolemaeus eodem fere tempore (cf. Paus. I, 7, 2—3) gessit cum Maga, rege Cyrenes, et Antiocho rege Syriae; quae duo bella Droysenum quidem notum est statuisse, c. 266—65 esse

---

[1]) In Böotia nomina in ιχος usitatissima fuerunt; cf. Pape Onomastic. I, XXII et indic. in Keili inscr. boeot.

[2]) Orchomeno urbe a. 346 a. Chr. deleta a Thebanis, permulti Orchomenii Con in insulam sedes transtulerunt; cf. Mueller. Orchom. p. 121 sqq. Hauler. l. l. p. 7. Hempel l. l. p. 9—10. Meinek. ad VII, 21.

[3]) Libya est eadem terra ac Cyrena; cf. Callim. h. II, 66; cf. Hauler. l. l. 18, 3.

[4]) Cf. Koepp. l. l. Wilamowitzium, Antigonus von Karystos 219, 40; 220, 41. Iam prius Franzius C. J. Gr. III, 288 coniecerat, nuptias Ptolemaei Philadelphi cum Arsinoa sorore factas esse c. 276 neque tamen tum notitiam habuit inscriptionis columnae mendesiae. Similiter indicandum est de Krafftio in Pauly. R. E. s. v. Arsinoe II et Buechelero in mus. rhen. XXX, 56—57; cf. etiam Kaibelium, Deutsche Litter. Zeitung 1881, p. 1541.

gesta. At enim ex titulo quem tractat Wiedemannus in comm. de chronologia Arsinoae Philad. (cf. mus. rhen. XXXVIII, 384 sqq.) scimus iam a. 270 Arsinoam uxorem fuisse fratris Philadelphi. Unde sequitur, iam ante a. 270 primum bellum Syriacum Cyrenaicumque exarsisse, cf. Koeppium in mus. rhen. XXXIX, 209—13. Nam ex Theocriti carmine XVII (cf. v. 129 νυμφίον; Hauler. l. l. p. 23, Hempel. l. l. p. 76, Koepp. l. l. p. 210) perspicitur, nuptias illas et duo bella modo commemorata in eodem fere tempore esse collocanda. Animadvertendum porro est, Theocritum exitu carminis XIV sine dubio consilium suum Alexandriam proficiscendi tecte designasse, unde patet, eum ante annum fere 270 in illam urbem transmigrasse, nam nemo negabit, vv. 59 sqq. (cf. v. 68 ᾆ τάχος εἰς Αἴγυπτον) spectare ad bella illa duo.

Verba ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα (c. XVII, 1) sine dubio (cf. Buechelerum l. l. p. 57 et Koeppium l. l. p. 210, 3; de Theocrito imitatore Arati cf. etiam Buechelerum in mus. rhen. XXXIX, 1884, p. 276) desumpta sunt ex Arati Φαινομ. initio, quod ex eo puto concludi posse, quod Theocritus etiam Arati hymnum in Panem idyllii VII versibus 103 sqq. approbare voluit: sic enim verissime sine dubio coniecit Haulerus l. l. p. 13 quem secuti sunt Usenerus in mus. rhen. XXIX, 43 sqq. Holmius l. l. p. 495, Hempelius l. l. p. 51, Hillerus ad id. VII, 103.

Aratum autem hodie scimus, non a. 272 (sic statuerat Roeperus in Phil. IX, 32—5, quem secuti sunt Haulerus l. l. p. 13 et Couat l. l. p. 46) sed a. 276 (sic Koepkius, de Arati Solensis aetate, progr. Guben. 1867, quem secuti sunt Usenerus l. l. Buechelerus in mus. rhen. XXX, p. 57, Hempelius l. l. p. 51, Koeppius l. l. p. 210, Wilamowitzius, Antig. v. Karystos p. 43, 13) ad Antigoni Gonatae cum Phila nuptias celebrandas, Pellam profectum esse, ubi iussu regis Φαινόμενα conscripsit c. 276—4 [1]) (sic Buechelerus). Unde sequitur, Theocritum carmen XVII ante annum fere 274 scribere non potuisse.

Alexandria urbe relicta Theocritus Syracusas rediit ad Hieronem, quem reditum ante a. 264 factum esse apparat ex c. XVI, 76 sqq., ubi Carthaginienses hostes Syracusanorum

---

[1]) Cf. Usenerum l. l. 42, 3: es ist deutlich, dass die Katastrophe, welche durch Pyrrhus Rückkehr (a. 274) aus Italien über Antigonus hereinbrach, den litterarischen Kreis des macedonischen Hofes zersprengte u. s. w.

appellantur. Rectissime autem Holmius l. l. p. 492 et 495 (cf. etiam Fritzsch. de poet. gr. buc. p. 8) statuit Theocritum Syracusas rediisse brevi post pugnam apud Longanum flumen commissam, qua devictis Mamertinis Messinaeque incolis Carthaginienses auxilium tulerunt i. e. anno fere 269; nam ex vv. 76 sqq. satis intellegitur, inimicitias inter Carthaginienses et Syracusanos modo demum exardescere coepisse[1]).

Syracusis propter belli tumultus (sic statuo cum Ribbeckio l. l. p. 82) relictis Theocritus Miletum sese contulit ad Niciam medicum, cf. id. XXVIII, 15 sqq. Disertissime autem Niciam et uxorem Theogenida amicos familiaresque identidem vocat, unde sequitur, Theocritum iam prius aliquando Niciae amicitiam sibi conciliavisse. Quid autem probabilius est quam Theocritum post a. 269 Miletum rediisse, cum amicitiam Niciae sibi compararit Co in insula (cf. Ribbeck. l. l. p. 80) ipsa vel Mileti (cogitari potest Theocritum Co ab insula Miletum in urbem transvectum esse), antequam Alexandriam profectus sit?

Ex carmine XXVIII recte conclusisse mihi videor, Theocritum priusquam Alexandriam navigaret, Co in insula habitavisse; quaeritur nunc, quando Con insulam reliquerit.

Illo tempore, quo evenerunt, quae Theocritus idyllio VII descripsit, Aratus Co in insula habitavit et amicitia Theocriti usus est. Hoc primum negari non potest. Porro iam tum Theocritus Simichidam i. e. sese ipsum facit approbantem Arati hymnum in Panem (vv. 103 sqq.). Hic hymnus scriptus est aut Pellae a. fere 276 aut, ut Haulerus l. l. p. 14 et Hempelius l. l. p. 51 contenderunt, Athenis (scimus ex Diog. Laert. II, 141 Antigonum Gonatam identidem Athenis versatum esse) brevi post Antigoni a Gallis apud Lysimachiam a. 278 victoriam (Pane adiutore ut credebant) reportatam, cf. Usenerum l. l. Hempel. l. l. p. 92. Per annos autem 278—6 Aratus Athenis fuit, annos 276—4 Pellae degit, tum (i. e. fere anno 274) cum Pyrrhus redux ex Italia Antigonum devictum magna regni parte occupata in maritimas urbes sese recipere coegisset, verisimillimum est, Aratum regiam aulam ingenti armorum strepitu perterritam vitantem Con in insulam aufugisse ibique circa

---

[1]) Haulerus l. l. p. 26—29 frustra studuit monstrare, a. 265 Theocritum Syracusas rediisse; Haulerum secuti sunt Ribbeckius l. l. p. 81. Couat l. l. p. 39. Hillerus ad c. XVI praef.

annos 274—3 habitasse; cf. Usenerum l. l. Koepkium l. l. p. 6. Quod si ita esse statuatur (atque mihi quidem sic videtur optime quaestio expediri) sequatur et Theocritum c. 273—2 Alexandriam profectum esse ibique habitasse usque ad annum fere 269 et nuptias Philadelphi cum Arsinoa sorore factas esse circa annum 273 eodemque fere anno exarsisse bellum Syriacum et Cyrenaicum [1]).

Ex eis quae adhuc disserui, id videtur mihi concludi posse, Theocritum, quippe qui disertis verbis proferat, sese iam ante annum 280 sive circa annos 274—3 satis magnam laudem carminibus suis adeptum esse (cf. VII, 37 sqq.: ἀοιδὸς ἄριστος, 91 sqq.) natum esse c. 310—300 a. Chr. n. [2])

Quando Theocritus mortuus sit, id accurate definiri non potest. Nam incertum est, num ignotus ille Munati corrector verum dixerit: cf. schol. cod. Ambr. 222 hypoth. XVII: ἁμαρτάνει δὲ Μούνατος τοὺς χρόνους Θεοκρίτου ἀναβιβάζων εἰς Φιλοπάτορα (222—205 a. Chr.). Utique autem Haulerus l. l. p. 16—17 falsissime Munati testimonium defendere conatus est epitaphii Bionis versibus vv. 95 sqq. in quibus Theocritus inter vivos videtur numerandus esse. Haulero tamen libenter veniam do,

[1]) Koeppius l. l. 209 sqq. statuit, Theocritum anno fere 276 carmen XVII Alexandriae scripsisse. Unde sequeretur, si Aratum circa annos 280—276 Athenis Zenonis auditoria fingimus frequentantem, ante iam annum 280 Aratum Co in insula familiariter vixisse cum Theocrito (similiter censuit Hempelius l. l. 50 sqq. 92). Tum autem facere non possemus quin in Theocritum propter vv. 103 sqq. anachronismi culpam transferremus, si quidem re vera credere volumus (atque ego quidem credo), iam tum, cum res id. VII actae sunt, Simichidam versibus 103 sqq. Arati hymnum approbare voluisse. Similem autem anachronismum admitterent etiam ei qui cum Weicherto, Gerhardio, Hempelio (cf. p. 58 sqq.) credunt versibus 45 sqq. Appollonium Rhodium esse significatum. Nam mihi quidem persuasum est, scriptum esse id. VII Alexandriae (cf. Wilamowitz. in Herm. XIV, 173) brevi post Callimachi hymnum in Delum (hic sine dubio scriptus est paullo post Gallorum seditionem i. e. anno fere 276 sive 272; cf. Koepp. l. l. 210, Wilamow. l. l. 220, 41). Nam sine dubio Callimacheum versum (h. IV, 252): Μουσάων ὄρνιθες ἀοιδότατοι πετεηνῶν imitatus est Theocritus cf. VII, 47: καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες et XII, 7: ἀοιδοτάτη πετεηνῶν. Contra veri speciem Valcken. ad Phoen. 321 statuit, Callimacheum versum conflatum esse ex Theocriti VII. 47 et XII, 7.

[2]) Cf. vita anon. ἤκμασε . . . κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ. Haulerus l. l. 17 statuit, Theocritum in lucem esse editum a. 300; Ribbeckius l. l. p. 62: a. 300; Holmius l. l. p. 300: a. 295; Hempelius c. 305—300; Couat l. l. p. 41: c. 320—315.

non item Hempelio (l. l. p. 18) et Couato (l. l. p. 40) qui a Buechelero in mus. rhen. XXX, 40 sqq. discere poterant, epitaphium Bionis non Moschi esse, sed discipuli cuiusdem Bionis, qui Sullae aetate vixit.

Vides, haud pauca de vita Theocriti nos suspicari posse, cum perpauca certo sciamus, quod similiter valet de altera quaestione, quam hoc loco liceat mihi attingere, quam quaestionem num mihi contigerit profligare, nescio; neque tamen vereor ea pronuntiare, quae re identidem considerata sentio. Proposui enim mihi, ut disquirerem, quae ratio intercederet inter Theocritum et Apollonium Rhodium.

In idyllio XIII Theocritus postquam narravit, Hylam prope ad Cium oppidum, ubi Argonautae appulerant, raptum esse a nymphis, in c. XXII 27—33 (carminis XXII versus 27—134 saltem procul dubio Theocriti sunt) ita narrare pergit: „Tum Argonautae, cum per Symplegadas penetrassent, ad Bebrycas pervenerunt.“ Unde sequitur, Theocritum quidem Bebrycas ultra Bosporum in Bithynia habitantes induxisse. Contra Apollonius Rhodius collocavit eos citra Bosporum; cf. Arg. II, 166—8: δὴ τότε i. e. certamine inter Argonautas et Bebrycas finito λυσάμενοι νεάτης ἐκ πείσματα δάφνης . . . πνοιῇ δινήεντ᾽ ἀνὰ Βόσπορον ἰθύνοντο. Etiam complures in singulis rebus discrepantias ab Apoll. Rhod. (cf. Arg. II, 1—163) praebet Theocritea descriptio certaminis ipsius (idem dicendum est de descriptione raptus Hylae, cf. Argon. I, 1172—1272). At alias singularitates ut omittam ad id solum volo animum advertere, apud Apollonium postremo omnes Bebrycas pugnare, ut Amycum regem necatum ulciscantur, cum Theocritus Amycum non faciat interfectum.

Praeterea neglegendum non est, quod Theocritus complura praebet vocabula dictionesque, quae similiter leguntur apud Apollonium. Sunt autem haec, quantum adhuc observavi: dictio χρύσειον . . . μετὰ κῶας sc. ἔπλει (Theocr. XIII, 16) reperitur Argon. I, 4: χρύσειον μετὰ κῶας . . ἤλασαν; apud Herod. VII, 193 legitur: ἔπλεον ἐπὶ τὸ κῶας; ad Theocr. XIII, 16—17: Αἰσονίδας, οἱ δ᾽ αὐτῷ ἀριστῆες συνέποντο sqq., cf. Arg. I, 228—9: τόσσοι ἄρ᾽ Αἰσονίδῃ συμμήτορες ἠγερέθοντο, τοὺς μὲν ἀριστῆας Μίνυας sqq.; ad Theocr. XXII, 65: εἷς ἑνὶ χεῖρας ἄειρον ἐναντίος ἀνδρὶ καταστὰς cf. Arg. II, 14: πρίν χείρεσσιν ἐμῇσιν ἑὰς ἀναχεῖρας ἀεῖραι; ad Theocr. XXII, 126: πυκνοὶ δ᾽ ἀράβησαν ὀδόντες cf. Arg. II, 83: βρυχὴ ὑπετέλλετ᾽ ὀδόντων; ad Theocr. XXII, 123: ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ὑπεξανέδυ

κεφαλῇ cf. Arg. II, 93: κρᾶτα παρακλίνας; ad Theocr. XXII, 124: πλῆξεν ὑπὸ σκαιὸν κρόταφον, cf. Arg. II, 95: κόψε μεταίγδην ὑπὲρ οὔατος.

Utique qui diligentius Theocriteam et Apollonianam descriptionem certaminis illius inter se comparaverit, haud negabit, alterutrum poetam alterum imitando expressisse. Atqui scimus vehementissimam inter Callimachum et Apollonium Rhodium de re poetica exstitisse litem. Theocritus autem plane stetit a partibus Callimachi, quod cum ex multis aliis locis intellegitur, quos uterque poeta similiter tractavit, tum potissimum ex similitudine mira quae est inter compositionem Theocritei carminis XVII et Callimachei hymni in Jovem; cf. tabulam illam, quam Hempelius l. l. inter paginam 92 et 93 interposuit. Itaque haud mihi videor errare, si suspicor, Theocritum id studuisse ut Apollonium non tam imitaretur quam corrigeret.

Quae si probabiliter disserui, sequitur Theocritum aetate superasse tempus primae editionis Apollonii Argonauticorum, quae editio quando fere facta sit, liceat mihi iudicium meum exponere. Gratias autem habebo si quis veriora proferens errasse me docuerit.

Constat Catullum Callimachi πλόκαμον Βερενίκης carmine LXVI „expressisse", cf. c. LXV, 16. Quo in Catulli carmine illo Ptolemaeus Euergetes, qui disertis verbis rex v. 11 vocatur (de regina Berenica cf. vv. 19. 27. 89. 93.), sine dubio rex Aegypti (cf. v. 36 captam Asiam Aegypti finibus addiderat) intellegendus est. Scriptum autem erat Callimacheum illud carmen brevi postquam Asia capta Aegypti finibus addita est. Discimus porro ex Catulli vv. 11 sqq. haud multo post Euergetae cum Berenica nuptias bellum illud Assyricum (v. 12) esse gestum. Atqui verba „parentum gaudia frustrantur falsis lacrimulis" (vv. 15—16) non possunt cum Koeppio l. l. p. 219, 2 referri neque ad Berenicae patrem Magam, qui ex testimonio Agatharchidae apud Athen. XII 550 mortuus est a. 258 (cf. Lincke, de Callimachi vita et scriptis, diss. Halens. p. 6, Wilamowitz. Antig. v. Karystos, 229, 57) neque ad matrem Arsinoam (Apamam?) quippe quae optaverit, ut filia Demetrio Pulchro nuberet. Restat igitur, ut cum Droyseno (hist. Hellen. III, 1. 347, 3) cogitemus de Ptolemaeo Philadelpho et Arsinoa II; hanc autem Arsinoam scimus brevi ante coniugis mortem obiisse (cf. Droysen, Berliner Monatsberichte 1882, p. 229. Wiedemann. l. l. p. 387, Wilamowitz.

l. l. 338). Unde sequitur, nuptias illas factas esse c. 248 a. Chr., cum desponsa fuerit Berenice Euergetae iam anno 258. Compertum porro habemus, Arsinoam matrem Berenicae post Magae mortem Demetrium Pulchrum arcessivisse qui rex fieret Cyrenae. Quem Demetrium Gutschmidtius (cf. Wilamowitz. l. l. 229, 57) statuit et ipsum anno 258 necatum fuisse. Quod tamen cogitari vix potest: nam qui fieri potuit, ut Berenica, quippe quae a. 258 puella quinque fere annorum (cf. Couat l. l. 114 adn. et 231) esset, particeps (cf. Catull. vv. 26—8. Couat ibid. Wilamowitz. in Herm. XIV, 200) fieret necis Demetrii Pulchri? Sequitur igitur Demetrium ultra annum 258 vixisse atque cogitari potest, nuptias illas Berenicae et Euergetae non multo post Demetrium necatum esse factas. Ut breviter dicam, Cyrena circa annos demum 250—48 videtur in possessionem Aegypti regum cessisse.

Atqui negari non potest, Callimachum in hymno in Apollinem sub Apollinis persona Ptolemaeum Philadelphum (cf. v. 26 ἐμῷ βασιλῆι) voluisse designare (hoc fusius exposuerunt Richterus, Kallimachus' Hymnen auf Zeus und Apollo, Gubener Progr. 1871, p. 6 ff. et Couat l. l. 228 sqq.), cum verbis ἡμετέροις βασιλεῦσι v. 68 aut in universum reges Aegypti aut Ptolemaeum Philadelphum et Euergetam (hoc arbitrantur Richterus l. l. et Couat l. l.) indicarit. Utique autem sequitur, Callimachum hymnum in Apollinem (de Cyrena cf. vv. 65 sqq.), cum Philadelphus adhuc vivus cogitandus sit, scripsisse c. annos 250—47. Procedo nunc ad exitum huius hymni.

Couatus l. l. p. 512 (cf. etiam Merkelium in ed. Argon. prot. XIX et Dilthey, anal. Callim. p. 32) sic scripsit: Callimaque préparant une édition complète de ses hymnes ajouta à l'hymne II en l'honneur d'Apollon une sorte d'épilogue. Quam sententiam libere confiteor, parum habere veri similitudinis, corruit autem eo quod Callimachus singillatim carmina sua videtur edidisse; cf. Wilamowitzium in praef. edit. Callim. hymn. Berol. 1882, p. 5—6.

Heckerus, comm. Callim. 45 nullum potuit invenire nexum versuum 105 sqq. cum antecedentibus. Quorum virorum sententias Schneiderus, Callim. I, 189 mea sententia recte reiecit; nullus enim re vera exstat hiatus sententiarum, nam quis non videt, verba οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει v. 106 opposita esse brevissimae illi acclamationi ἰὴ ἰὴ παιῆον v. 103? Contendo igitur exitum huius hymni plane integrum esse neque

sensu carere. Sine dubio enim Callimachus versibus 105 sqq. Apollonium Rhodium imprimis cavillari voluit quem nescio num lectori persuasurus sim, Callimachum collocatione verborum ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος (subaudi quaeso, ὁ Φθόνος Ἀπολλωνίου) paene digitis monstravisse. Quod si ita est, sequitur, Apollonium primam Argonauticorum editionem quam ἔφηβος scripsit, in lucem misisse iam circa annos 250—247.

Huc accedit, quod Apollonium illo tempore iam Rhodo in insula habitasse necesse est putemus, nam verba ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ Φθόνος, ἔνθα νέοιτο v. 113, Couatus l. l. 513, 1 rectissime sic interpretatus est: ὁ Μῶμος Rhodum redeat ubi est invidiosus Apollonius. Quae cum ita sint, nihil vereor contendere, Apollonium circa annos 250—47 annos fere viginti quinque natum fuisse, ita ut sequatur natum eum esse c. 275. Unde facile cogitari potest, etiam Theocritum, qui natus est c. 310—300, adhuc vivum fuisse circa annos 250—48 et Argonautica Apollonii adversarii novisse. Sequetur autem Theocritum Mileto ab urbe rediisse Alexandriam, quod omnino valde probabile est.

Holmius l. l. 301 sqq. aestheticis potissimum causis adductus contendit, Theocritum primo aetatis spatio composuisse epica carmina XXII, XXIV, XXV, XIII sqq. et decursu demum temporum processisse ad bucolica carmina scribenda. Quam Holmi sententiam quis est quin videat, Theocriti ipsius verbis reici? Illis enim temporibus, quibus res idyllii VII actae sunt, poeta dicit sese iam satis magnam laudem sibi comparasse carminibus bucolicis cf. vv. 35—8, 49, 92 sqq., ita ut suo sane iure sese vocare potuerit ἄριστον ἀοιδόν. Saltem vides, Theocritum iam circa tempus prioris Co in insula commorationis bucolicis carminibus mimicisque, quae iure bucolicis addimus, componendis operam dedisse. Huc accedit alterum gravissimum argumentum. Carminibus enim in mere bucolicis I, III—V, (idd. VIII et IX Theocriti non sunt), quae sine dubio in Sicilia conscripta sunt, Theocritus spondeum ante caes. bucolicam non admisit nisi ita ut monosyllaba sit altera syllaba, cum ceteris in carminibus poeta diversam secutus sit normam. Quid igitur verisimilius est quam Theocritum temporum demum decursu a spondei admittendi usu illo angustis finibus circumscripto magis magisque decessisse? Sequitur igitur, carmina illa supra dicta in Sicilia ab adolescente poeta esse composita.

Tum illud porro statuere possumus, Theocritum Co in insula, quo a Sicilia migravit, perrexisse bucolica mimicaque idyllia scribere. Huc enim sine dubio referenda sunt carmina VI et XI (de carmine XI cf. Wilamowitzium in Herm. XIV, 173), quae Polyphemi pastoris res exprimunt. Etiam mimicum carmen II cogitari potest, Co in insula ante a. 280 sive 274—3 esse scriptum, nam Delphis v. 29 vocatur Myndius, Myndum autem scimus oppidum fuisse Cariae, quod proxime aberat ab insula Co, cf. Hempel. l. l. p. 11. Priusquam Alexandriam proficisceretur Theocritus videtur c. XIV composuisse, si quidem recte suspicor, poetam consilium suum in urbem illam proficiscendi tecte designavisse carmine illo, praesertim cum metrum quidem non obstet, ne cum Haulero l. l. p. 29 pro Θυωνίχος (hoc ipsum nomen in ίχος videtur indicare, c. XIV Cō in insula esse scriptum) ponamus Θεόκριτος. Vides me nihil consentire cum Haulero l. l. p. 30, et Ribbeckio l. l. p. 91, qui contenderunt, verba ἀπὸ κροτάφων sqq. (vv. 68—70) spectare ad senectutem Theocriti.

Alexandriae in urbe Theocritus scripsit cc. XVII et XV. Porro nescio num recte coniciam, carmen quoque XVIII Alexandriae esse scriptum atque id in honorem Philadelphi ξανθοκόμου (c. XVII, 103; Menelaus vocatur ξανθοθρίξ XVIII, 1) et Arsinoae II, quae XV, 110 diserte comparatur cum Helena (Ἑλένᾳ εἰκυῖα), quam comparationem malo referre ad pulchritudinem Arsinoae (noli omittere aulicum hic loqui poetam), quam ad τριγαμίαν Helenae (cf. Stesichor. 26 in Bergk. Anth. lyr.³ 228 [1]) et Arsinoae, quam constat primum Lysimachi regis († 281) tum Cerauni († 280) uxorum fuisse, priusquam Philadelpho fratri nuberet.

---

[1]) Cf. hyp. ad id. XVIII: εἴληπταί τινα ἐκ τοῦ πρώτου Στησιχόρου Ἑλένης ἐπιθαλαμίου.

B. De Artemidorea, quae vocatur, collectione carminum Theocriti.

Theocritum ipsum bucolica saltem carmina unum in librum congesta edidisse Birtius (das antike Buchwesen, p. 394, 3) falso conclusit ex idyllii IX versibus 28—36, quos tamen versus auctorem habere plane diversum a Theocrito, id apertissimum fit ex sola voce attica ᾠδά (vv. 28, 32), quam Theocritus plane vitavit, cum undetricies praebeat formam ἀοιδή. At sit qui arbitretur, Birti sententiam fulciri posse epigrammate illo notissimo Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος sqq. (Anth. Pal. IX 434 praebet hoc epigramma sub Theocriti nomine). Verum enim vero Theocriti ipsius hoc epigramma non esse id facile est intellectu. Nam visne credere, Theocritum ipsum verbis Ἄλλος ὁ Χῖος praefixis ab Theocrito Chio sese voluisse distinguere? Nonne potius haec verba grammatici cuiusdam redolent ingenium? Attamen fac Theocritum auctorem esse illius epigrammatis, quid tum dicere voluit verbis μοῦσαν . . ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην? Voluitne dicere, sese aliorum poetarum carmina collectioni suae non inseruisse? Habesne tu in memoria, aliquem poetam ipsum sua carmina edidisse una cum aliorum poetarum carminibus? Quorumnam porro poetarum carmina potuit Theocritus subiungere suis ipsius carminibus? An mavis credere Theocritum sic voluisse dicere: in collectionem a me institutam non recepi nisi bucolica (ὀθνείην μοῦσαν = musam non siculam s. non syracusanam) mea carmina? Quod per se quidem cogitari potest neque tamen habet miminam speciem veri. Sed iam apage nugas: est illud epigramma non Theocriti ipsius, sed grammatici cuiusdam, qui, quod ipse fecit [1]), Theocritum facit facientem. Quid autem ille fecerit id patet ex verbis ὀθνείην μοῦσαν οὔτιν' ἐφειλκυσάμην, quae verba, si collectori adscribimus, peraptum admittunt sensum: „aliorum poetarum

[1]) Verissime Wilamowitzius in edit. Callim. hymn. Berol. 1882 praef. 5 contendit, Theocritum singillatim carmina sua edidisse.

carmina nisi Theocriti non recepi in hanc collectionem a me institutam.“ Hoc primum constat. Cur autem disertis verbis in fronte libri „nihil ibi a Theocrito poesos alienae haberi“ affirmetur, Vahlenus in ind. lectt. Beroll. 1876, p. 4 verissime adnotavit non perspici nisi tum „si alios ante aliud colligendi consilium secutos esse aliosque sibi fines scripsisse constabat.“ Atqui casu quodam prospero faustoque cognitum habemus Artemidori grammatici (vixit c. 50 a. Chr. n. cf. Giese, de Theone grammatico, diss. Monast. 1867, 33 sqq.) epigramma (cf. Anth. Pal. IX, 205 alibique) ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων·

Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκὰ νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Quam collectionem num Artemidorus, ut nonnulli viri dd. credunt, ipse [1]) instituerit, hoc discerni non potest. Utique autem dubitari non potest, quin haec collectio omnium bucolicorum poetarum carmina comprehenderit, nam Theocriti solius carmina bucolica si continuisset, necesse erat scribi ab Artemidoro τῶν βουκολικῶν ποιημάτων τοῦ Θεοκρίτου. Quod si ita est, vides, quaestionem illam, de qua agitur, uno quasi nunc ictu diiudicatam esse. Sic enim res est: Artemidorus scripsit epigramma Βουκολικαὶ Μοῖσαι sqq. ἐπὶ τῇ ἀθροίσει omnium bucolicorum poetarum i. e. Theocriti, Moschi, Bionis aliorum. Contra auctor epigrammatis Ἄλλος ὁ Χῖος sqq. in collectionem a se institutam non recepit nisi Theocriti solius carmina [2]).

Procedo ad dialectum epigrammatis utriusque: epigramma illud collectioni A praefixum eadem dorica dialecto scriptum est, qua carmina poetarum bucolicorum scripta fuerunt. Alterius autem epigrammatis auctor cum hoc epigramma usitata dialecto scripserit, videtur mihi quidem id concludi posse, collectionem B omnia cuiusvis generis carmina Theocritea dialecto diversa scripta complexam esse. Haec fere satis certo videntur mihi statui posse de collectionibus illis duabus. Ultra autem non possumus nisi coniecturas facere. Atque re vera permulta coniecerunt viri dd. Fuerunt enim, qui eundem crederent esse auctorem utriusque et epigrammatis et collectionis, cum alii diversos statuerint auctores. Quin etiam non defuerunt qui sibi

[1]) Ahrensius in Phil. XXXIII, 392 verissimile putat, Theonem filium Artemidori, esse auctorem collectionis.

[2]) Priorem collectionem liceat vocare A, alteram, cui praefixum est epigr. Ἄλλος ὁ Χῖος, collect. B.

viderentur accurate indicare posse, quot et quae carmina collectio carminum bucolicorum Theocriti continuisset. Quibus ex viris [1]) quis verum dixerit supersedeo exponere, cum mihi quidem persuasum sit, vix unquam quaestionem illam certo diiudicatum iri.

C. Inter carmina Theocritea quae subditicia sint demonstratur.

Recentioris aetatis viri dd. verissime haec carmina Theocriti esse iudicarunt: I—VII, XI, XIII—XVIII, XXVIII—XXX, cum cetera carmina alia ab aliis viris criticis addubitata sint, quorum carminum ex numero nescio an excipiendum sit c. XII, quod propter dialecticam rationem (sine dubio scriptum est ionica dialecto cf. Buechelerum in mus. rhen. XXX, p. 45 al.) constat Reinholdo (de genuinis Theocriti carminibus Jen. 1819, p. 44) scrupulos iniecisse, cum recentioris aetatis viri rectissime Wissowam (Theocritus Theocriteus, Vratisl. 1828, p. 25) secuti contenderint, dialecti rationem ne minimam quidem offensionem habere. Similiter dicendum est de c. X, quod metricas nonnullas habet discrepantias a carminibus bucolicis; at enim de hac re quid sit censendum, infra diligentius explanabo. Restant igitur imprimis cc. VIII, IX, XIX—XXVII ad quae disputatio mea pertinebit.

Illud qui sibi proposuerit, ut certis argumentis ab genuinis alicuius poetae carminibus discernat subditicia, is necesse est cum multarum aliarum rerum tum Hermanni dictorum (Orphic. 686) rationem habeat: „continetur oratio in poeta quidem duabus maxime rebus, numeris et dictione.“ Proprie autem de Theocriti carminibus commentationem instituenti ne dialecti quidem ratio neglegenda est. De dictione et dialecto carminum Theocriteorum fusius praefari supersedeo, potius si discrepantias invenero in

[1]) Cf. Buechelerum, in Jahni annal. 1860, p. 336—337, Ahrensium in Phil. XXXIII, 386 sqq., 392 sqq. et in edit. magn. Lips. 1855, p. 74, Fritzschium in ed. lat. vol. I, p. 299 sqq. Fritzsch. Hiller. edit. p. 31, Birtium, das antike Buchwesen, p. 394, 3. Cf. etiam Kaibelium in Herm. XV, 451, 454 et Wilamowitzium in Herm. XIII, 276.

carminibus addubitatis, proferam eas, ubi de singulis carminibus accuratius disseram. De re metrica autem haud mihi videtur peritura esse opera, si pauca praemittam.

Nam lapsus ille, quo Valckenarius cecidit, ut ex c. versus nonnullos (cf. hac de re Hermann. op. V, 83) Theocriti esse negaret propter complures spondeos continuos, nonne idem etiam recentioris aetatis viro docto potest accidere, praesertim si omiserit, accuratius perscrutari quas leges metricas Theocritus observavit?

De re metrica.

Theocritus ut permultos versus dactylicos meros elaboravit, ita ne spondeos quidem continuos dactylis intermiscere veritus est.

Tres spondei continui initio versus leguntur ex c. I. 9, XI, 23.

Schema –́ ⏑ ⏑ –́ – –́ – –́ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏓ invenitur XI, 4, XIV, 46.

Quattuor spondei continui sunt XVI, 25, XVIII, 49, 50, cf. Hermann. opusc. V, 83 ad id. VIII, 43.

Singularis hexametri Theocritei proprietas est caesura bucol., quae plerumque ita adhibita est, ut – ⏑ ⏑ – ⏓ sequatur, neque tamen desunt versus, quorum in exitu post caes. bucol. legitur –́ – –́ ⏓, quos tamen duos pedes animadvertendum est plerumque quadrisyllabo comprehendi vocabulo sive verbo: I, 38, 71, 75, 136, II, 35, VII, 23, 48, 133, XI, 24, XII, 2, XIII, 43, XV, 63, 82, 87, 98, 143, XVI, 3, 4, 70, 77, 86, XVII, 82, XVIII, 3; cf. etiam [1]) X, 58, XXII, 39, 51, 107, 189, XXIV, 29, 47, 75, XXV, 35, 99, 198, 222, 263, sive nomine appellativo et proprio: XIII, 20, 44, XVI, 58, 80, XVII, 23, 61, cf. etiam XXII, 163, 216, XXV, 23, 31, 48, 168, 233, 279, XXVI, 36. — XVII, 26, 27, cf. etiam XXIV, 2, 53, 60, 76, XXV, 7, 10, 29, 110, 143, 191, 202, sive adiectivo: XV, 27, XVII, 60, XXV, 30, 107, 159; adverbium αἰγυπτιστί legitur XV, 48. Vocabulum trisyllabum praepositione praecedente exstat XI, 58 (ἐν χειμῶνι); cf. etiam XXII, 43, XXV, 25, 173; excusari potest χρῆμ' ὤνθρωπος XV, 83, nam χρῆμ' voc. artissime cohaeret cum ἄνθρωπος. Idem usus occurrit nobis etiam apud

---

[1]) Carmina quae citantur post verba „cf. etiam" addubitata quidem sunt, attamen genuina esse demonstrabo.

Apollonium Rhodium et Callimachum; at memoratu est dignum, cum Callimachus ante –́ – –́ ⏓ numquam spondeum admiserit intercedente caes. bucol., hunc usum inveniri et apud Apollonium (cf. Argon. I, 186, I, 1297) et apud Theocritum: XV, 48 (παρέρπων αἰγυπτιστί) 83, 143, cf. etiam X, 58 κατ᾽ εὐνὰν ὀρθρευοίσᾳ), XXV, 30, 99.

Exitus spondaici, bucolica autem caes. non admissa, talismodi leguntur, ut vocabulum finale aut sit trisyllabum: XIII, 42 (εἰλιτενὴς ἄγρωστις), XV, 133, XVI, 91, XVII, 79, cf. etiam XXII, 174, aut quinque syllabarum: XIV, 33 (ἐπιθυμήσασα); idem schema ⏑⏑ –́ – –́ ⏓ invenitur etiam XVI, 91, XXIV, 125, cf. etiam XXV, 66. Aliter legitur XXII, 100 (τε γναθμούς τε), XXV, 87; cf. Jl. XI, 10 (τε δεινόν τε).

Duo spondei continui sequente spondeo s. trochaeo inveniuntur XVI, 56 (περίσπλαγχνος Λαέρτης), cf. etiam XXV, 98, 154.

Apud Hermannum (Orph. 729) sic legitur: „Cum caesura est in fine quarti pedis, dactylum spondeo praeferunt poetae.“ Quae observatio comprobatur etiam usu Theocriteo. Neque tamen desunt versus, qui spondeum praebent ante caes. bucol. At noli praetermittere, rarissime spondeum legi, si caesura bucolica sequitur coniuncta cum gravi interpunctione; sunt autem haec exempla: XV, 67 (πότεχ᾽ αὐτᾷ, μή τι πλανηθῇς), 74 (φίλ᾽ ἀνδρῶν, ἐν καλῷ εἴης); v. 38 autem videtur mihi cum Ahrensio sic interpungendum esse: ἀπέβα τοι τοῦτο. Πρ. κάλ᾽ εἶπας, repugnante quidem Meinekio, qui falso τοῦτό κεν εἴπαις proposuit.

In bucolicis carminibus tale exemplum non invenitur, nam I, 6 sine dubio legendum est καλὸν κρέας, quod eadem sede est V, 140.

Huc accedit, quod Theocritus in bucolicis carminibus I, III—V, quae adolescens in Sicilia scripsit, spondeum ita tantum admisit, ut ultima syllaba sit vox monosyllaba ad sequentia verba pertinens, quamobrem I, 130 rectissime Ἄιδος legitur in editt. recentt. pro Αΐδαν. Nulla igitur offensio inest in id. I, 14 (ἐγὼν ἐν), IV, 8 (βίην καὶ), 52 (κακῶς ἁ), V, 16 (μανεὶς εἰς), 58 (γαυλὼς τῷ), 132 (με πρᾶν), 133 (οἱ τὰν). Ceteris in carminibus, quae Theocritus scripsit, ex quo tempore Con in insulam transmigravit, maiorem sibi concessit licentiam, cf. XI, 41 (σκύμνως), 42, XIV, 23, XVIII, 12, XI, 1 (πεφύκει), 62, XVII, 133, XVIII,

57 al. Similia exempla praebet c. X (v. 18 χροϊξεῖθ', v. 38 ἐλελήθει), neque mirum, nam infra ostendam, hoc quoque carmen Co in insula esse compositum. Qua de causa non est cur offendamur v. 58: κατ' εὐνὰν ὀρθρευοίσᾳ.

His ex allatis vides, Theocritum haud ita spondeum aspernatum esse.

De caesuris in hexametro Theocriteo admissis pauca habeo, quae adnotem. Omnes enim fere caesuras Theocritus praebet: caesurae πενθημ. et κατὰ τρίτ. τροχ. satis aequabiliter reperiuntur; identidem legitur caes. in arsi quarti pedis coniuncta cum caes. trithem.: I, 18, II, 91, XI, 20, XVIII, 28 al. Quin etiam inveniuntur versus, in quibus omnes fere caesurae possunt statui, cf. ex. c. V, 39: καὶ πόκ' ἐγὼν | παρὰ τεῦς τι | μαθὼν | καλὸν | ἢ καὶ ἀκούσας. Qui versus talem praeterea habet structuram, ut incisum sit cum similitudine quadam soni: ἐγὼν — μαθὼν; cf. etiam XXII, 72; XIII, 41 al. Attamen plane respuit Theocritus versus quales leguntur in carminibus subditiciis ut VIII, 41:

πανταᾷ ἔαρ, πανταᾷ δὲ νομοί, πανταᾷ δὲ γάλακτος

et XX, 6:

οἷα βλέπεις, ὁπποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις,

quibus in versibus verissime Meinekius ad Mosch. II, 79 (pag. 432) adnotavit lusum inesse consulto a poetis quaesitum.

Caesuram trochaicam in quarto pede Theocritus in carminibus illis I, III—V quae in Sicilia scripsit, sic admisit, ut sequatur vocula monosyllaba (I, 53, 56, 151, III, 16, 36, IV, 2, 31, 54, 60, V, 89, 105, 123, 130, 135, 148; cf. II, 34, 72, 98, 103, 138, 145, 157, VI, 28, 31, 36, VII, 20, 38, 60, 66, 100 al.). Alius modi exempla habent multum excusationis ut XIV, 21 ἐμεῦ, τίν' ἔχειν, XV, 31 μευ τὸ χιτώνιον, ubi vix caes. κατὰ τέταρτ. τροχαῖον statuenda est, cum verba τίν' et τὸ pertineant ad sequentia.

Ad caesuram illam trochaicam, quae est X, 27: . . ἁλιόκαυστον, ἐγὼ δὲ μόνος sqq. Meinekius ad id. VIII, 10 verissime hoc adnotavit: „haec caesuram ab interpunctione quae praecedit excusationem habet." Nam hoc loco nonne potius credes caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον esse statuendam. In c. XVIII, 15 sine dubio recte Meinekius (adn. ad h. l. et ad id. VIII, 10) sic proposuit legendum: Μενέλα τεὰ ἁ νυὸς ἅδε pro Μενέλαε, τεὰ νυὸς ἅδε. In c. XXIV, 100: βαρύς περ ἐὼν unius instar vocis est;

cf. Meinek. ad. VIII, 10; XXIV, 1 ἐόντα ποχ' et XXVI, 15 μαίνοντο δ' ἄρ caesura bucolica statui potest.

Ad hiatum procedens supersedeo disserere de illo hiatu, qui invenitur post arsim singulorum pedum longam vocalem s. diphthongum altera excipiente vocali vocabuli sequentis, nam hic hiatus paene legitimus vocandus est. Potius eum tantum hiatum Hermannus (Orph. 720, cf. etiam Christ. Metrik [II], 38) recte statuit, „si vocabuli in vocalem exeuntis ultima syllaba ante vocalem qua sequens verbum incipit, non est in arsi neque, si longa est, corripitur." Atque eis exceptis versibus, in quibus ut apud omnes fere poetas hiatus invenitur in caes. κατὰ τρίτ. τροχ. (III, 24, VII, 8, cf. etiam XXII, 116) et in caes. bucol. (I, 67, III, 30, cf. etiam XXV, 45), hiatum vix reperies nisi ante vocabula, quae a principali Ϝ inceperunt. Sunt autem, ut praeteream permulta illa exempla, quae hiatum praebent ante οἱ, haec nomina: ἄναξ (XVII, 135, cf. etiam XXV, 150), ἄστυ (XVI, 84, cf. etiam XXV, 45), ἔργον [α] (XVII, 6, 13, cf. etiam XXII, 42, 118, XXVI, 37), ἐοικὼς (I, 41, 86), εἰπεῖν (XVII, 7, 11), εἰδὼς (XVII, 18, cf. etiam XXV, 37), ἴσατι (XV, 146), Homericum κλέα ἀνδρῶν (κλέᾰ = κλέεσα) est XVI, 2, quo exemplo noli defendere VIII, 15 ἰσομάτορα ἀμνόν.

Alia hiatus exempla praebet c. XXV, quae eodem modo non inveniuntur in ceteris Theocriti carminibus. Neque tamen causa est, cur ideo hoc carmen Theocrito abiudicemus, nam totum hoc idyllium primo obtutu non te fugiet multo magis ad Homeri exemplum esse elaboratum atque expressum quam cetera carmina, quod item valet de illis versibus, in quibus productio brevis syllabae in consonantem exeuntis vi arseos diverse invenitur ab usu, qui nobis occurrit in ceteris carminibus, cf. hac de re Hermann. in Orph. 699—701.

Vides omnia illa hiatus exempla supra commemorata etiam ab aliis poetis aliena non esse. Minus autem usitata haec sunt exempla paucissima: XV, 149 χαῖρε Ἄδων, qui hiatus in primi pedis priore thesi admissus est sine dubio ad analogiam usitati illius χαῖρε ἄναξ (XVII, 135). Simili autem de causa excusari potest hiatus ante ἴον (X, 28 καὶ τὸ ἴον), quem quidem hiatum cogitari potest Theocritum mutuatum esse a poeta aliquo alio. Denique XV, 32 in scholl. vett. nonnullisque codicibus minoris quidem pretii vera lectio παῦσαι· ὁκοῖα (sic habet etiam edit. Iuntina, cuius fontem scimus bonum fuisse (cf. Ahrens. in Phil.

XXIII, 401) videtur latere, cum cod. k. aliique codd. praebeant παῦε. ὁποῖα. Denique omittere nolo, Kaibelium in id. V, 10 verissime pro ἧς τι ἐνεύδειν ad hiatum hunc intolerabilem vitandum legi proposuisse ἔστιν ἐνεύδειν, cf. schol. cod. Gen. 6: Ἄλλως· οὐδὲ ὁ δεσπότης ἔχει δέρμα τι πρὸς τὸ κοιμηθῆναι.

Productio brevis syllabae in consonantem exeuntis vi arseos hac ratione invenitur:

a. in secunda arsi: XV, 123 ὢ ἔβενος, ὢ: hoc loco animum adverte ad exclamationem cum pausa in recitando coniunctam. XV, 90 haud video, cur contra codicum auctoritatem, ut productio vitetur, nonnulli (cf. Hermann. opusc. V, 106 et Ahrens.) pro πασάμενος ἐπίτασσε scribi velint πασάμενος ποτίτασσε, quam scripturam suppeditant Etym. M. p. 681, 54 et Etym. Gud. p. 490, 14. Primum enim convenientius est, idem verbum iterari; praebent autem omnes codd. et scholl. Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις. Porro autem productio in πασάμενος ἐπίτασσε nonne satis excusatur exemplo supra allato; cf. etiam VII, 85 φερβόμενο̄ς et XXV, 2 παυσάμενο̄ς ἔργοιο et v. 69 ἀμφότερον ὀδμῇ; cf. denique XXV, 172 ὡς κεῖνο̄ς ἀγόρευε.

b. in tertia arsi, ubi maximam habet excusationem productio: I, 115 ὢ λύκοι, ὢ θῶες, ὢ sqq., VII, 85 κηρία φερβόμενο̄ς ἔτος sqq., X, 30 ἁ αἶξ τὰν κύτισο̄ν, ὁ sqq., XI, 46 ἔστι μέλας κισσο̄̀ς, ἔστ' sqq., cf. etiam XXV, 57 κτῆσιν ἐποψόμενο̄ς, ἦ.

c. in quarta arsi: III, 12 θᾶσαι μὰν θυμαλγὲς ἐμο̄̀ν ἄχος; cf. etiam XXV, 50 . . . . θεο̄̀ς ἐπιδευέα, XXV, 203 . . . ναῖον ἄτλητα.

d. in quinta arsi: XV, 100 omnes codd. et scholl. praebent Ἰδάλιον ἐφίλησας; cf. Catull. c. 64, v. 96: „quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum." Videtur igitur Catullus in exemplari suo Ἰδάλιον legisse, quamobrem superflua est coniectura Bergki (in mus. rhen. VI, 1838, p. 35): Ἰδαλίαν; cf. Verg. A. I, 693, Idaliae lucos; I, 681, Idalium. Praeterea productio in quinta arsi legitur c. XXIV, 42, ō οἱ cf. Jl. 22, 307, τṑ οἱ. Quibus ex allatis perspicitur, Theocritum nusquam monosyllabum vocabulum produxisse, cf. autem spurium c. VIII, 14, θε̄̀ς.

Idyllium VIII.

a. Prooemium, vv. 1—5.

Versus 1—5 quis est quin videat, expressos esse ad exemplum prooemii id. VI, quod et ipsum quinque complectitur versus? Pro ποκὰ positum est ὡς φαντί, pro συνήγαγον invenitur συνήντετο; cum πυῤῥός compara πυῤῥοτρίχω attributum, quod tamen animadvertendum est, alio significatu esse usurpatum ac πυῤῥός, nam πυῤῥὸς spectat ad barbae colorem. cf. schol. et Valcken. Phoen. 32, cum Fritzschius secutus Koechly in opusc. I, Lips. 1881, p. 484 aliosque viros frustra studuerit ostendere, πυῤῥότριχος voc. pertinere ad „malas prima lanugine flaventes". Quintus denique utriusque prooemii versus incipit a πρᾶτος δ'. Visne etiam dubitare, quin prooemium idyllii octavi factum sit ab imitatore Theocriti, praesertim cum, quod gravissimum est argumentum, in v. 5 (cf. etiam vv. 30, 61) particula ὦν contra usum Theocriteum sit usurpatum? Theocritus enim particulam illam neque „frequenter inlimitateque" et in continua tantum narratione admisit (V, 21, 69, 71, XIV, 29, XXII, 73, 80); cf. Kaibelium in Herm. XV, 453.

b. vv. 6—27.

v. 6. Theocritus semper in bucolicis saltem carminibus voc. βουκόλος s. βούτας posuit, nusquam autem ἐπίουρος βοῶν. Addo porro, quod gravius est, Theocritum nusquam voc. βούτας, ποιμήν, αἰπόλος coniuncta usurpasse cum genitivis βοῶν, αἰγῶν, οἴων (cf. v. 6 et 9).

Quid pro insolenti illa dictione λῆς μοι ἀεῖσαι legendum sit, adhuc nescio: cf. ceterum Meinek. ad h. l.

v. 10. Caesuram trochaicam in quarto pede εἴ τι πάθοις Meinekius ad h. l. defendere studuit; cf. etiam Fritzschium ad h. l. et Hillerum. Attamen animadvertendum est, Theocritum in bucolicis carminibus (I, III—V) quae quidem in Sicilia [1]) scripsit, caesuram illam non admisisse nisi ita, ut sequeretur monosyllabum vocabulum (quindecim inveni eiusmodi exempla).

v. 11. Verbum ἐσιδεῖν insolentissime legitur notione experiendi, cf. Verg. ecl. 3, 28: visne ergo inter nos quid possit uterque vicissim experiamur? Theocritus ubique verbum illud usurpavit significatione videndi.

---

[1]) Si quis id. VIII Theocriti esse putat, necesse est statuat, et ipsum in Sicilia esse compositum, cf. v. 56.

v. 13. Diversissimis sane coniecturis (collegit eas Fritzschius in adn. ad h. l.) viri docti temptaverunt hunc versum, qui quomodo restituendus sit, haesito. Utique autem retinendum mihi videtur codicum omnium θησεύμεσθ', pro quo Ahrensius quidem et Meinekius scribi voluerunt θησεῖς μισθὸν (cf. Jl. κ 304, Od. σ 358, μισθὸς δέ οἱ ἄρκιος εἴη). At quid vult μισθὸς vocabulum, cum bis ante legatur ἄεθλον?

Hermannus (op. V, 82), quem secuti sunt Fritzschius et Hillerus, sic voluit scribi: και τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη. Quam lectionem si retinemus, offendit et medium θέσθαι et ἄεθλος, quod voc. nusquam a Theocrito quidem pro ἄεθλον positum est; excusationem autem nullam praebent grammaticorum duorum testimonia quae leguntur in Bekkeri anecd. 210, 14 et 349, 21, cf. Meinek. p. 476. Offendit porro spondeus ἁμῖν in quarto pede, quem supra adnotavi Theocritum in bucolicis idylliis, quae scripsit in Sicilia, sic tantum admisisse, ut altera syllaba esset monosyllaba. Koechly coniecit: καὶ τί τὺ θησεῖς, ὤγάθ', ἐμὶν ὅ κεν ἄρκιον εἴη, quam coniecturam probari non posse, nemo est quin videat.

v. 14. Verissime iam Meinekius sic advotavit ad h. l.: „insolens et Theocriti usui repuguans est hiatus ἰσομάτορα ἀμνὸν et v. 15 ποκα ἀμνὸν. Ineptiunt enim qui ἀμνὸς digammatum fuisse statuunt.“ Quem ad hiatum vitandum Fritzschius, qui animum inducere non potuit, id. VIII Theocrito abiudicare, coactus est ad coniecturam confugere; atque sic statuit: „equidem non dubito quin in utroque versu voc. ἀμνὸν venerit ex glossa olim superscripta vocabulo rariori, quod proprium agno anniculo, matri iam paene magnitudine pari, fuerit. Fortasse poeta scripserat: τὺ δὲ θές γ' ἰσομάτορ' ἔπισσαν et versu proximo οὐ θησῶ ποκ' ἔπισσαν.

Fortasse offensionem habet etiam productio brevis syllabae θές, Theocritus enim monosyllabae vocis productionem vitavit; cf. Meinek. ad h. l. Sunt quidem editores, qui codices nonnullos interpolatos secuti scribi velint θές γ', at quis non videt, particulam γε post θὲς omni carere sensu? Koechly ll. p. 481 probavit Piersoni coniecturam λιπομάτορα ἀμνὸν (cf. Philippi epigr. in Anth. Pal. IX, 240, 1, λιπομήτορα παῖδα; simil. λιποπάτωρ legitur Eurip. Orest. 1305 ed. Nauck.), at enim omnes codices scholiaque praebent ἰσομάτορα. Sed utut est, utique remanet intolerabilis hiatus ποκα ἀμνὸν in v. 15; nam ποκα

γ' ἀμνὸν quod legitur in ed. Comm. et cod. 6 omni caret sensu item atque θές γε in v. 14.

v. 20. Ahrensius, quem secuti sunt Koechly l. l. p. 482 et Meinekius p. 265, scribi voluit κα θείην, quam mutationem ex codicum κτα — κατα — κατ — θείην confiteor lenissimam esse. Attamen ego quidem consentio cum Fritzschio, qui sic statuit: „compositum verbum (κατθείην) necessarium est propter concinnitatem versus extremi [1]) (καταθησῶ)". Huc accedit quod inde a v. 11—17 sic legitur: καταθεῖναι — καταθεῖναι, θησεύμεσθ' (?) — θησῶ — θὲς, θησῶ — θησεῖς. Nonne persuasum tibi est, etiam in v. 20 poetam scripsisse: κατθείην (sic vulg.) — καταθησῶ?

Quod si est, hic quoque versus discrepantiam praebet ab usu Theocriteo, Theocritus enim in bucolicis quidem carminibus numquam particulam ἂν (κε . κα) omisit in enuntiato per se stante, quod item valet de relativis enuntiatis. Aliter res est in carminibus epicis, ubi ἂν modo legitur cf. XVI, 17, 106, XXII, 74, 162, cf. XXV, 37, 49, 195, 198, modo abest cf. XVI, 67. In enuntiato interrogativo ἂν invenitur XI, 49, XVII, 116.

v. 25. Verba ἀλλὰ τίς ἄμμε κρινεῖ; similiter sunt V, 61—62 ἀλλὰ τίς ἄμμε τίς κρινεῖ;

v. 26. Summam offensionem habet particula ἢν, pro qua in bucolicis mimicisque carminibus Theocritus posuit αἴ κα, αἴ κε (εἴ κε); nam in id. VII, 106 rectissime Ahrensius ex duobus codicibus κεἰ — ἔρδοις scripsit. Animadvertendum porro est, ἢν non inveniri in genuinis Theocriti carminibus nisi XII, 25, quod carmen sine dubio ionica dialecto est compositum. Legitur autem ἢν in spuriis carminibus XX, 28—29, XXI, 4, XXVII, 31, 32, 35 (cito omnino ex edit. Hilleriana).

c. vv. 28—32.

His de versibus, qui tam rudes atque impoliti sunt, ut vix poetae alicui, nedum Theocrito possint attribui, cf. Meinek. ad v. 29, Koechly l. l. 489, Buechelerum in Jahni annal. 1860, p. 354 sqq., Fritzschium et Hillerum ad hos versus.

De particulae ὦν v. 30 usu alieno ab Theocrito cf. adn. ad

---

[1]) Cave ne cum Schmidtio (in mus. rhen. XXVI, 177) contra omnes codices scribas οὐ ποκα θησῶ pro οὐ καταθησῶ.

v. 5. Vocadulum ἀμοιβαῖος (cf. v. 61) a Theocrito usurpatum non esse, iam Wordsworthius animadvertit.

d. vv. 33—60.

Omitto, cum G. Hermanno op. V, 83, quem in universum secuti sunt Koechly l. l. 481 et 486 sqq., Buechelerus l. l. 349, Fritzschius I, p. 275, defendere atque excusare id quod versibus heroicis contra legem poeseos epicae cantus elegiacus immixtus est, potius mea interest ostendere, a Theocrito quidem hos versus elegiacos scriptos non esse; neque tamen nego, hunc cantum excellere venustate quadam atque elegantia orationis.

In v. 35 verbum βόσκεσθαι (cf. Meinek. ad VII, 113; adversarius exstitit Buechelerus l. l. p. 347) contra usum Theocriteum [1]) invenitur activa notione, cum contrariam in partem in posteriore cantu v. 61 νέμω usurpatum sit intransitiva significatione. Theocriteus potius usus hic est: pascere = βόσκειν III, 3, IV, 2, V, 83, XI, 34, ἐλαύνειν III, 2, νομεύειν I, 109, 120, III, 46, IV, 17, VII, 87, pasci = βόσκεσθαι V, 103, III, 2, νέμεσθαι IV, 14, V, 100, cf. XXV, 9, ποιμαίνειν XI, 65.

In id. VII, 113 codices quidem plurimi praebent lectionem παρ' Αἰθιόπεσσι νομεύοις, ad quod Meinekius p. 259 falso adnotavit: „Pana pastorum pecorisque custodem perhiberi notissimum, at greges eum alere pastorisque munus obire ipsum a nemine opinor traditum est.“ Verissime enim Buechelerus l. l. 347 animadvertit ad hymn. hom. in Pana 32: καὶ θεὸς ὢν . . . μῆλ' ἐνόμευεν ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ; cf. etiam Fritzschium ad h. l. Contra recte Meinekius statuit, verbum νομεύειν a Theocrito nusquam notione intransitiva esse usurpatum. Huc accedit quod verbum εἶναι (v. 111) universe dictum notione versandi pro νομεύειν postulat simile verbum et quod ipsum quoque universam habet significationem. Quis denique non perspicit, poetam Pani hoc loco aliquid mali precari, quam ad sententiam nescio qua ratione quadret verbum νομεύειν, quippe quod exprimat studium Pani gratissimum. Itaque non dubito quin cum Meinekio, quem secutus est Kaibelius in Herm. XV, 452, mutatione lenissima scribendum sit παρ' Αἰθιόπεσσιν ὁδεύοις. Argmento

[1]) Buechelerus l. l. discrepantiam illam studuit excusare eo quod in subditicio c. XX νομεύω intransitiva notione et item etiam in epitaph. Bionis v. 82 reperitur. At Theocriteus usus cum aliorum poetarum usu comparandus non est.

denique nescio an illud sit, quod Callimachus verbum illud ὁδεύειν in loco quodam usurpavit, ubi item sermo est de Nili fontibus. Probabiliter enim Schneiderus Call. frgm. 241 τὴν δὲ γενὴν οὐκ οἶδα particula καὶ addita consociavit cum frgm. 445: οὐδ᾽ ὅθεν οἶδεν ὁδεύει θνητὸς ανήρ; re vera autem hic agi de Nilo, accuratissime apparet ex schol. Dionys. Perieg. 221: Θεόκριτος ἕως Βλεμύων αὐτὸν (i. e. Νεῖλον) ὁρᾶσθαί φησιν, ὁ δὲ Καλλίμαχος· οὐδ᾽ ὅθεν sqq.

Eodem in versu 35 id. VIII articulus τὰς longa vocali α legitur idque in thesi, cum Theocritus terminationem ας non admiserit nisi in arsi productam, cf. II, 6, V, 89, VII, 104. De particula ἦν (cf. etiam v. 39), cf. adn. ad v. 26.

In v. 45 Menaleas simul ovium caprarumque pastor est, quod ab Homeri quidem usu alienum non est, cf. ex. c. Od. ι 245 al.

At Theocritus ubique accuratissime distinguit βούταν, αἰπόλον, ποιμένα, cf. imprimis I, 80 et VI, 7, ubi ironice Galatea opilionem (cf. v. 10, XI, 12, 74). Polyphemum caprarium inducitur apellans, de qua sententia cf. Hilleri adn. ad. I, 86.

In versu 47 (cf. etiam v. 43) invenitur αἰ — ἂν, quod iam Zieglero scrupulos intulit, cf. ceterum adn. ad. v. 26.

In versu 44 ποιμήν dictum est de Menalca pastore ovium et caprarum, cum Theocritus voc. illud usurparit notione sola opilionis, cf. I, 7, 15, V, 1, 90, 138, 143, VII, 151. Ad Polyphemi ποιμνίον (- V, 75) cf. VI, 6, 10, XI, 12, 74. In id. VII, 71 Lycidas vocatur αἰπόλος, Tityrus autem cum cantum promat de bubulco Daphnide, dubium non est, quin ipse quoque a poeta bubulcus acceptus sit. Unde illud videtur mihi concludendum esse, ποιμένας esse intelligendos opiliones, cf. ceterum Buechelerum p. 350—51, qui frustra studuit defendere id quod in v. 92 voc. ποιμήν usurpatum est notione νομεὺς (cf. XX, 19).

De versus 41: παντᾷ ἔαρ, παντᾷ sqq. structura plane aliena a Theocriti consuetudine supra iam disserui; cf. Meinekium ad Mosch. II, 79, contra quem Buechelerus l. l. 348—349 (Buechelerum constat id. VIII Theocriti esse iudicasse in universum Koechly secutum) haud feliciter pugnavit.

Formam ὤν, quae legitur in versu 52 (καὶ θεὸς ὤν) Theocritus plane respuit, cf. II, 119, XI, 34 (ἐών), II, 100, V, 36, VII, 79, XI, 5, 69 (ἐόντα), I, 44 (ἐόντι), X, 8 (ἀπεόντων), XIV, 21,

XV, 12, XVII, 10 (παρεόντος), II, 64 (ἐοῖσα), XI, 75 (παρεοῖσαν), II, 13 (εὖντα ortum ex ἐόντα), XVII, 69 (ἐοῦσι), II, 76 εὖσα = ἐοῦσα), V, 26 (παρεῦσα). In subditiciis carminibus reperitur οὖσι IX, 27, παρὼν IX, 24, ὢν XX, 3.

Post vv. 49—52 (cf. edit. Hiller.) excidisse unam stropham, omnes agnoscunt viri docti; ingeniose autem Koechly sic supplevit: ταῦρε φίλ', ἀργεννᾶν δαμαλᾶν πόσις, ὦ καλὸν ἄντρον | εὔσκιον, ὦ λευκαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ δαμάλαι. | ἐν τήνῳ γὰρ τήνα. ἴθ' ὦ πέπον εἰπέ τε· Ναΐς, | χὼ Φοῖβος ποίμνας καὶ θεὸς ὢν ἔνεμεν.

Post versus 53—56 in recentioribus editionibus leguntur verba: δένδρεσι — γυναικοφίλας (vv. 57—60) Daphnidi attributa. Attamen diligentius qui animadverterit, quam concinne praecedentes strophae structae sint quamque accurate sententiae alterius strophae respondeant sententiis sequentis strophae (quin etiam haud raro eundem rhythmum eademque fere verba invenis) is non dubitabit quin versus 57—60 alicunde huc illati sint. Similiter iudicavit iam G. Hermannus [1]) (op. V, 84), qui sic scribit: „Hoc ultimum tetrastichon ita comparatum est, ut epigramma potius esse videatur quam pars alius carminis."

Quae Hermanni coniectura eo magis videtur mihi quidem probanda esse, cum in Anthologiae Palatinae libro XII (Μοῦσα παιδική) complura reperiuntur epigrammata, quorum auctores amorem suum tuentur exemplo Jovis φιλόπαιδος; cf. epigr. 20, 37, 65, 69, 101, 117, 133, 220, 221, 254. Cogitari autem potest, interpolatorem aliquem versus 57—60 ceteris versibus elegiacis inseruisse propter Callimachi [2]), aequalis Theocriti, epigramma (Anth. Pal. XII, 230), in quo et Theocritus quidam commemoratur et verba οὐράνιε Ζεῦ, καὶ σύ ποτ' ἠράσθης leguntur quae similiter sunt v. 60 id. VIII.

---

[1]) Hermannum secutus est Meinekius p. 268.

[2]) Inconsideratissime Fritzschius in praef. adid. VIII, p. 258 et in adn. ad v. 56h: „Epigrammate illo hoc idyllium sive versus, qui ex hoc loco exciderunt, sive servatos versus (v. 59—60) nutu vel potius digito Callimachus significavit . . . Theocritum notari apparet ex initio epigrammatis illius." Idem vir doctus, cum vv. 57—60 Theocriti putaret, coactus est alteram stropham supplere, quae responderet vv. 53—66, alteram, quae responderet vv. 57—60. Quas quidem strophas haud sine ingenio supplevit. Theocritum illum a Callimacho commemoratum esse bucolicum poetam persuasit sibi Ribbeckius, preuss. Jahrb. 1873, p. 85. Cf. etiam Hiller. ad vv. 59—60. Contrarie atque Fritzschius de Callimachi epigrammate iudicavit Valckenarius in epist. ad Roeverum p. 9: „ex his Callimacheis nostrum ocum efformavit homo quidam."

Praetermittendum denique non est, quod v. 59 Daphnis ἀνὴρ vocatur (cf. Hermannum in opusc. V, 87) cum alioquin hoc in idyllio Daphnis et Menalcas introducantur παῖδες μικκοὶ cf. vv. 28, 29, 61, 64, 81; v. 3 legendum est ἄναβος. Quam discrepantiam cave ne cum Koechly l. l. p. 480 sqq. Buechelero l. l. p. 351 sqq. Fritzschio I, 256—57 defendas ridiculis explicationibus.

e. **vv. 61—62.**

Carmen elegiacum cum sequenti cantu alterno versibus heroicis scripto coniunctum est versibus 61—62, qui eundem produnt versificatorem, qui etiam versus 28—32 fabricavit; cf. G. Hermann. opusc. V, 87 al.

De particulae ὦν usu alieno ab Theocriti consuetudine cf. adn. ad v. 5. In versu 62 invenitur attica vox ᾠδά, quam Theocritus plane vitavit, potius undetricies praebet formam ἀοιδή.

f. **vv. 63—80.**

Alter cantus alternus comprehendens versus 63—80 quamvis elegantem prodat poetam tamen Theocriti non est propter verbum νέμειν v. 66 insolenter usurpatum. In versibus 67—70 Menalcas loquitur et de ovibus matribus et de agnis, unde illud videtur mihi concludendum esse, versum 63 sic scriptum fuisse a poeta: φείδευ τᾶν ἀρνῶν, φείδευ, λύκε, τᾶν τοκάδων (i. e. matres oves) μευ. Codices vulg. habent: φείδευ τᾶν ἐρίφων, φείδευ, λύκε, τῶν τοκάδων μευ. Stob. in flor. 78, 2 sic praebet: φείδευ τῶν ἀρνῶν, φείδευ, λύκε, τῶν ἐρίφων μευ. Quomodo autem factum sit ut ἐρίφων insereretur, haud ita difficile est intellectu. Tum sequeretur, hunc cantum non scriptum esse ab eodem auctore, qui composuit versus elegiacos, in quibus Menalcas conspicitur simul oves caprasque pascens.

Quomodo in versu 68 legendum sit, viri docti inter se dissentiunt. Alii scribunt ὄκκα πάλιν, alii ὄκκ᾽ αὖ. Cf. Meinek. p. 269, Buechel. l. l. p. 348, Fritzschium et Hillerum ad h. l. Egomet ipse hanc habeo sententiam: auctor huius cantilenae ante oculos habuit XI, 22—3, ubi legitur: ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με, cf. id. VIII, v. 65: ὕπνος ἔχει τυ. At nescius, illo loco ὄκκα per longam vocalem α legendum esse propter sequens γλ, particulam illam posuit longa vocali α. Statuo igitur legendum esse ὄκκα πάλιν.

Verba τὰς δαμάλας παρελᾶντα, v. 73 expressa sunt ad τὰς αἶγας παρελᾶντα, cf. id. V, 89.

Ad formam ἀπεκρίθην, v. 74 cf. Lobeck. ad. Phryn. p. 108. Meinek. p. 479. Buecheler. l. l. p. 348. Fritzschium et Hillerum ad h. l.

Denique praetermittendum non est, quod Hermannus opusc. V, 87 verissime adnotavit: „Posterius carmen puerorum est unice gregibus suis delectatorum, ab amore autem ita adhuc alienorum, ut Daphnis, ubi formam suam a puella laudari audivit, ludificari se ratus, humi deiectis oculis pudibundus praeterierit. Quantum ab hoc distat carmen illud elegiacum, in quo alter aperte se puerum Milonem, alter puellam amare fatenter.“ Quam discrepantiam frustra conati sunt defendere Koechly l. l. 480 et 486 sqq., Buechelerus l. l. 351 sqq., Fritzschius p. 256 sqq.

g. **vv. 81—91.**

Versus 81—91 Theocrito abiudicandi sunt propter verbum μέλπεσθαι v. 83, quod Theocritus nusquam praebet. Verba ἀδύ τι sumpta sunt ex id. I, 1. Pro ἐφίμερος φωνά legitur id. I, 61 ἐφίμερος ὕμνος; ad sententiam versuum 82—83 comparari potest I, 146—8, ubi αἰπόλος arbiter dicit: πλῆρες τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα. Verba αἰ δέ τι λῇς v. 85 similiter sunt id. V, 21, 64, XI, 56. Cum locutione ἐχάρη καὶ ἀνάλατο cf. XXIV, 56, ἐπάλλετο δ' ὑψόθι χαίρων.

h. **vv. 92—3.**

Extremo in versu cum Daphnis dicatur Naidem nympham (sine dubio nomen proprium legendum est) in matrimonium duxisse, liceat mihi disquirere, num haec fabulae forma consentiat cum Theocriti locis illis, qui Daphnidis [1]) faciunt mentionem.

Theocritea illa κώρα (id. I, 82) re vera haud scio an viris doctis maiores paraverit quam Daphnidi ipsi cruciatus, quos ipsos cruciatus scrupulosque spero me disputatione sequente in

---

[1]) De Daphnidis fabula cf. imprimis C. Fr. Hermanni diss. de Daphnide Theocriti, Gott. 1853, Haulerum, de Theocriti vita et carminibus, Friburg. Brisg. 1855, 44—8, Welckerum, kl. Schr. I, 200, 409, Koechly, l. l. 487 sqq. Buechelerum l. l. 358 sqq., Ribbeckium, preuss. Jahrb. 1873, XXXII, 60—61 al. Krumbholzium, quaest. Theocrit. spec. I, Dresdae 1873, p. 7—21, Holmium, Gesch. Siciliens I, 56—7; II, 309—10, 317, 319, 498, Hempelium, quaest. Theocr. Kiliae 1881, p. 63 sqq. Couat, la poésie Alexandrine, p. 430—433.

omne tempus esse remoturum. Praemonere autem volo, ei qui Theocriteae fabulae Daphnidis imaginem sibi vult fingere veram, plane neglegenda et praetereunda esse et scholiastarum interpretationes halucinationesque et aliorum veterum scriptorum de Daphnide narrata.

Potius qualem Theocritus Daphnidem cogitarit ex Theocriti verbis ipsius satis manifestum fit. Est autem Theocritea fabula Daphnidis adeo non complicata neque, ut nonnulli interpretes (cf. potissimum Hempel.) crediderunt, quasi fabula Milesia, ut mirum quantum sit simplex atque expedita.

Daphnis ille celeberrimus poeseos bucolicae heros (cf. id. VI, v. 2, ubi per ποκα tota actio refertur ad pristina tempora) vocatur armentarius ac venator (I, 71, sqq., 115 sqq., 120—21) atque Musarum ἀοιδὸς (V, 81). Idem cum superbe pertinaciterque gloriatus esset, sese desiderio amoris numquam subactum iri (I, 97), tamen a Venere, cuius numen hac sui fiducia laesit, usque eo adducitur, ut voti oblitus puellae cuiusdam amore quam vehementissimo ardescat. At haec puella, quae VII, 73, Ξενέα [1]) vocatur, tantum abest ut mutuum praebeat amorem (ne et ipsa Ξενέα flammam conciperet, sine dubio Venus impedivit, quo magis Daphnidem superbum faceret contabescentem) ut per montes silvasque [2]) (VII, 74—5) aufugiat, quam fugientem cum Daphnis assequi non potuerit, τήκεται (I, 66). Sic τήκομενον Daphnidem, qui Mercurium [3]), Priapum aliosque pastores dignos non putat, quibuscum dolorem suum communicet, Veneris autem inimicissimae adventu questus et dete-

---

[1]) Pro Ξενέας nescio an cum nonnullis codd. et scholl. legendum sit Ξάνθας, quod nomen perapte nymphae (puellam esse nympham intellegitur ex id. I, 66, ubi Νύμφαι sodales appellantur) potest imponi propter Hes. theog. 356, ubi una ex Oceani filiabus nominatur Ξάνθη. Utique autem nomen proprium retinendum est propter articulum appositum. Praeterea nescio, quid velit adiectivum ξενέας, quod nonnulli legi volunt. Nam puella quoque illa est Sicula (cf. VII, 75) item ac Daphnis (cf. I, 68—9).

[2]) In id. VII, 74 meliores quidem codd. habent ἀμφεπονεῖτο (montes circa dolebant), quam ad sententiam Hillerus comparavit Bion. I, 32: τὰν Κύπριν αἰαῖ ὤρεα πάντα λέγοντι καὶ αἱ δρύες αἰαῖ Ἄδωνον et Vergil ecl. 10, 30, cf. epitaph. Bionis 1 sqq. Attamen probabilior videtur mihi aliorum codicum lectio ἀμφεπολεῖτο (cf. schol. rec. περιήρχετο τὸ ὄρος ζητῶν αὐτήν), quod verbum hoc loco passiva notione intellegendum est. Eadem versus sede activum legitur I, 124: εἴτε τύγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον.

[3]) Mercurium patrem Daphnidis a Theocrito esse intellectum, non potest concludi ex id. I, 77. Cf. Buechelerum l. l. 358.

stationes effundit, invenimus in id. I. Denique βαίνει ῥόον sc. Ἀχέροντος, I, 140. Haec est Theocritea fabula Daphnidis ut quae maxime simplex.

Supra dixi, puellam illam Daphnidis amorem esse aspernatam. At sit qui putet, contrarie legi I, 82 sqq. Quod qui credit, falso sentit. Nam quis non intellegit, sine dubio scholiastam (cf. Ahrensii ed. magn. II, 69 ad I, 77—85) recte sic interpretatum esse: εἰρωνευόμενος δὲ λέγει πρὸς αὐτὸν τοῦτο Πρίηπος· αὐτὸς γὰρ μᾶλλον ἐζήτει. διὰ τοῦτο καὶ δυσέρως. cf. Buechelerum l. l. 359 et Hilleri adn. ad I, 82 sqq.

Atque cum hac Daphnidis fabula Theocritea visne credere, consentire id. VIII, 92—93, ubi disertissimis verbis matrimonii mentio fit, quod Daphnis fecit cum nympha Naide? Nonne solum illud ἔγημε impedit, ne saltem vv. 92—93 Theocrito adiudicemus? Nam utrum praeterea Ναΐδα pro ναΐδα legamus an non, id quidem nihil iam interest.

Haec est mea de id. VIII sententia, cuius idyllii ne ullam quidem partem contendo a Theocrito esse scriptam. Quomodo autem et a quo viro facta sit compositio diversarum partium huius idyllii, id disquirere supersedeo, cf. ceterum Hermannum in opusc. V, 87 al.

Idyllium IX.

Priusquam meam ipsius sententiam, quam habeo de idyllio nono, pronuntiem, liceat mihi, praemittere, quae diversas in partes recentiorum potissimum temporum viri docti de singulis partibus huius idyllii iudicaverunt.

Prologum (vv. 1—6) Jacobsius apud Wuestemannum ad id. IX. Artemidoro grammatico assignavit; Jacobsium secuti sunt Wordsworthius p. 79 et Fritzschius (edit. lat. II, Lips., 1870, I, 299). Ahrensius in edit. bucoll. graecc. Lips., 1855, p. 72, censuit, prologum in locum genuini perditi substitutum videri. Buechelerus in Jahni annal. 1860, p. 342, ita statuit: „Die Verse 1—6 rühren her von einem armseligen Flicker, etwa einem Geistesverwandten des Theokriteers Eratosthenes.“ G. Hermannus (opusc. VIII, 331—332) hoc adnotavit: „Totum idyllium ita comparatum est, ut, si carmina illa duo septem versuum a Theocrito facta sunt, cetera tamen alicunde adiecta videantur.“ Unus, quantum scio, Koechly (de carm. Theocr. in stroph. restit. in opusc. lat. Lips., 1881, I, p. 475 sqq.) totum idyllium Theocriti

iudicavit. Illud autem cum sibi persuasisset, propter similitudinem, quae esset versui 28 βουκολικαὶ Μοῖσαι, μάλα χαίρετε, φαίνετε δ' ᾠδάς cum aliquot Homericorum hymnorum clausulis ut imprimis cum XXV, 6, XIII, 3, XI, 5, totum Theocriti carmen ad illorum prooemiorum[1]) exemplum compositum fuisse, statuit, initio huius idyllii periisse „Musarum salutationem, qua, ut ad poetam descenderent atque cautilenarum a Daphnide quondam atque Menalca acceptarum commonefacerent, invitabantur".

Carmina illa duo (vv. 7—13 et 15—21), nemo adhuc, quod sciam, pro spuriis habuit. Versus 22—27 Theocrito abiudicaverunt Hermannus (opusc. VIII, 332) et Fritzschius l. l. 299.

Restat epilogus 28 sqq., quem Theocriti esse statuerunt Jacobsius l. l. Köchly l. l. Buechelerus l. l. 336 sqq. Birtius (das antike Buchwesen, p. 394, 3), cum alii viri docti versus illos Theocrito abiudicent; Ahrensium (in edit. bucoll. graecc. p. 74 et in Philol. XXXIII, 389 sqq.) denique et Fritzschium (in edit. lat. II, I, p. 299) scimus, epilogum Artemidoro grammatico adscripsisse, qui duo viri eo potissimum ad illam sententiam perducti sunt, quod initium versus 28 noni idyllii: Βουκολικαὶ Μοῖσαι congruit cum initio noti epigrammatis Artemidorei: Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκὰ sqq.

Vides, diverse viros doctos iudicasse de prologo et epilogo huius carminis, cum consenserint versus saltem 7—13 et 15—21 a Theocrito esse factos. Attamen quis est quin intellegat, ne versus 15—21 quidem Theocriti esse propter formam παρόντος v. 21, quam Theocritus in carminibus genuinis plane aspernatus est? Huc accedit, quod Menalcas v. 17 simul opilio et caprarius conspicitur, cum Theocritus in carminibus quidem accuratissime distinguat βούταν s. βουκόλον, αἰπόλον, ποιμένα.

Transeo ad versus 22—27, ubi item forma attica οὖσι v. 27 reperitur, quamobrem hi quoque versus auctorem arguunt diversum a Theocrito.

Quibus ex allatis elucet, versus 7—13 non Theocriti ipsius, sed felicissimi sane imitatoris esse: ad verba ἁδὺ μὲν — ἁδὺ δὲ

---

[1]) Koechly l. l. 477 putat, idyllium nonum „aut vere antiquissimum esse, quo poeta primum periculum fecit silvestrem pastorum cantum ad artis regulam revocandi, aut illud certe, quo primis carminibus amicorum iudicio in insula Co proponendis prolusit novi generis ex sui populi cantibus desumpti rationem indicaturus.

quater cum emphasi dicta cf. XI, 45—46: ἐντὶ — ἐντὶ, ἐστὶ — ἐστὶ, ἐστί sqq. Vocabulum initiale post caes. bucol. repetitum invenitur V, 104, ἔστι δὲ. Verba ἔστι δέ μοι leguntur etiam V, 104. Pro ὕδωρ ψυχρὸν praebet Theocritus V, 33. XI, 47 vocabulis transpositis ψυχρὸν ὕδωρ. Verba ἔστι δέ μοι παρ' ὕδωρ ψυχρὸν στιβὰς expressa sunt ad exemplum id. V, 33—34, ψυχρὸν ὕδωρ τουτεῖ καταλείβεται· ὧδε πεφύκει ποία γά στιβὰς ἅδε. Verba λευκᾶν ἐκ δαμαλᾶν καλὰ δέρματα similiter reperiuntur V, 56—57, ὑπεσσεῖται δὲ χιμαιρᾶν . . . δέρματα. In versu 10: δαμάλαι vocantur λευκαὶ, quod alioquin est attributum caprarum (cf. III, 34 al.). Mirum porro in modum vitulae introducuntur κόμαρον τρώγοισαι v. 11, cum id. V, 129 legatur: ταὶ ἐμαὶ αἶγες . . . ἐν κομάροισι κέονται; arbuta autem imprimis capris esse gratissima, testis est Vergilius in Georg. III, 300. Aptius denique verba ἀπὸ σκοπιᾶς ἐτίναξε . . λίψ v. 11 quadrant ad capras inter saxa circumerrantes quam ad vitulas. Verba τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος sumpta sunt ex id. VI, 16, τὸ καλὸν θέρος ἁνίκα φρύγει; cf. XII, 9.

Hanc ego habeo sententiam de idyllii noni versibus 7—13, 15—21, 22—27. Atque nunc vides, lector, quam frustra sane Koechly studuerit, connexum evincere inter illos, quos dixi, versus et prologum epilogumque. Similiter dicendum est de Buechelero, qui prologum quidem verissime probavit, non esse Theocriti, sed ignoti cuiusdam auctoris, qui pro genuino initio perdito substituit ineptissimum illud prooemium, quod hodie legitur in libris. Epilogum autem Buechelerus vir doctissimus similiter atque Koechly comprobare studuit Theocriti esse; attamen praeteriit illum, undetricies Theocritum praebere formam ἀοιδά, cum nusquam admiserit atticam vocem ᾠδά, quae bis invenitur in hoc epilogo, quae una discrepantia satis sufficit ad totum epilogum Theocrito abiudicandum.

Quod attinet ad prologum, in quo item bis reperitur forma ᾠδά, nihil habeo, quod eis addam, quae Buechelerus l. l. 339—342 verissime pronuntiavit; cf. etiam Ahrens. in Phil. XXXIII, 393 et Fritzschium l. l. p. 299.

Cuius auctoris versus 7—13, 15—27 sint (hi versus produnt re vera poetam, qui vix Theocrito cedit ingenio), haud audeo statuere. Illud autem facere non possum quin cum Buechelero l. l. p. 342 contendam, cum illi, quos dixi, versus sint poetae sane elegantissimi, versus 1—6 esse consarcinatos

ab interpolatore quodam imperitissimo artis poeticae, quem verissime mea quidem sententia Wordsworthius p. 79 suspicatus est eundem esse, qui id. VIII, 31 et 32 fecisset. Epilogum denique nescio an Ahrensius et Fritzschius recte iudicarint, Artemidori esse; at enim hac de re nonnisi suspicari possumus, quod item valet de quaestione illa, quomodo evenerit compositio diversarum a diversis auctoribus scriptarum partium huius idyllii; cf. ceterum Ahrensium in Phil. XXXIII, 393 sqq., Fritzschium l. l. 299, Hillerum in praef. ad id. IX.

Carmen X.

Unus, quantum scio, Wilamowitzius in progr. Gotting., 1884, p. 16, carmen decimum, quod vulgari legitur ordine, addubitavit; causas autem, quibus vir ille doctissimus perductus sit ad illam opinionem, quod apponere omisit, vehementer sane doleo; mihi ipsi libere confiteor hoc idyllium Theocrito dignum videri quam quod maxime. Nam visne ideo hoc id. Theocrito abiudicare, quod non pastorum, sed messorum duorum res continet? Nonne ex Theocriti ipsius verbis (id. VII, 28—29, μέγ' ὑπείροχον ἔν τε νομεῦσιν ἔν τ' ἀμητήρεσσι) intellegitur, quam multa vitae pastorum communia siut cum rebus messorum? An ideo vis hoc carmen auctori adscribere diverso a Theocrito, quod metricas nonnullas praebet discrepantias (cf. ea quae supra iam adnotavi ad vv. 18, 28, 38, 58) a ratione quam Theocritus adhibuit in carminibus bucolicis I, III—V in Sicilia scriptis? Nonne per se cogitari potest, hoc id. a Theocrito Co[1]) in insula, ubi perrexit bucolicas res tractare (cf. id. VI, VII, XI), esse scriptum? Ex quo autem tempore Theocritus Con in insulam transmigravit, maiores, ut supra commemoravi, sibi concessit licentias metricas. Quin etiam verissime videtur mihi quidem Fritzschius[2]) ad v. 15 hoc adnotasse: „Memorabile, quod Πολυβώτης Gigas parte Coi insulae, Theocriti patriae (?)[3]), a Neptuno dicitur obrutus: cf. Apollod. I, 6, 2, Paus. I, 2, 4. Libenter enim patriae (?) memor Theocritus."

1) In hypoth. ad hoc id. legitur: ἄδηλον, ἐν ᾧ χωρίῳ διάκεινται τὰ πράγματα.

2) Fuit tempus cum persuasum haberem, Theocritum nominibus Ἱπποκίων et Πολυβώτης memoriam voluisse revocare celeberrimi illius Coensis medici Hippocratis, quem scimus socerum fuisse Polybi cuiusdam.

3) Tantum abest ut Theocritus Co in insula natus sit ut diutius ibi commoratus sit.

Quid porro quod verba ἃς τὸν πόδα κάκτος ἔτυψε (v. 4) fortasse repetita sunt ex Philetae apud Athen. 2, p. 71 fragm.:

γηρύσαιτο δὲ νεβρὸς ἀπὸ ψυχὴν ὀλέσασα
ὀξείης κάκτου τύμμα φυλαξαμένη.

Philetae autem amicitiam scimus Theocritum Co in insula sibi conciliasse. Denique praetereundum non est, quod hoc idyllio eadem illa Ceres dea celebratur, cuius in honorem Theocritus Thalysia (cf. imprimis vv. 154 sqq.) scripsit. Est autem eadem dea, in quam Philetas quoque, amicus Theocriti, complures composuit elegos. Praeterea, quod gravissimum mihi videtur argumentum, eundem sane auctorem arguunt verba τὸν πώγωνα ἀλιθίως ἀνέφυσα, quae eandem exprimere sententiam ac μάταν εἰς ἄνδρα γενειῶν (XIV, 28) iam Demetrius Triclinius perspexit, cum ad XIV, 28 hanc offerret explicationem: ἐπεὶ . . . ταῦτα πάσχων οὐκ ἠρεύνουν οὐδὲ ἐφρόντιζον, μάτην ἀνέφυσα γένεια καὶ εἰς ἀνδρῶν ἁλικίαν ἀφικόμην. Cf. Long. Pastor. 2, 6, 2 (apud Hillerum ad id. X, 40). Etiam alia sunt quae similiter apud Theocritum reperiuntur:

v. 3. Pro τῷ πλατίον eadem sede legitur V, 28: τὸν πλατίον.

v. 4. Verba ὥσπερ οἷς sunt etiam XI, 24.

v. 7. Vocabulum ἀπόκομμα ante Theocriti aetatem non invenitur, quod item valet de voc. ἀπότιλμα XV, 19. Utrumqne autem vocabulum pariter formatum utroque loco inter substantivum et adiectivum positum est: XV, 19: γραιᾶν ἀπότιλματα πηρᾶν.

Ad v. 14. Fritzschius hoc adnotavit: „vocabulum σπόρος non habet Homerus, habent epici posteriores, velut Quint. Smyrn. IV, 427. Theocritus XVI, 94, XXV, 25." Noli autem praetermittere, hoc voc. duobus illis locis Theocriteis (XVI, 94, XXV, 25) eadem sede legi atque id. X, 14.

v. 17. Verba ὧν ἐπεθύμεις in clausula versus leguntur etiam XIV, 57.

v. 19. Ad voc. αὐτὸς usurpatum notione μόνος Fritzschius rectissime comparavit V, 85 et XI, 12.

v. 24. Voc. Πιερίδες eadem in versus sede reperitur XI, 3.

v. 27. Ad voc. ἁλιόκαυστος Fritzschius comparavit VII, 138: αἰθαλίων.

v. 29. Verba τὰ πρᾶτα λέγονται similiter in versus exitu sunt XVII, 3: ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω. Cf. Call. h. IV, 16: ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι.

v. 30. Ad verba ἁ αἶξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει cf. V, 128: ταὶ μὲν ἐμαὶ κύτισον . . αἶγες ἔδοντι et XI, 24: ὥσπερ ὄις πολιὸν λύκον ἀθρήσασα sqq. Ad voc. κύτισον autem Fritzschius hoc adnotavit: „Hanc plantam Theocritus bis commemorat, nusquam Bion vel Moschus, nusquam etiam Homerus, aliquoties Virgilius, G. II, 431, III, 394 al.“

v. 41. Imperativus θᾶσαι legitur etiam I, 149 et epigr. XVI, 1.

v. 44. Verba παριὼν τις eadem sedem sunt etiam XVIII, 47.

Ad v. 50. Meinekius verissime hoc adnotavit: particulae δὲ (id. III, 46 Meinekius pro τὰν δὲ καλὰν scripsit τὰν κᾱλὰν) nullum hic locum esse iam Reiskius intellexit, et abest ea a compluribus libris. Emendavit locum Hermannus. Quod enim Zieglerus dicit, Theocritum alibi diphthongum infinitivis non detraxisse, nullius momenti est.“ Atque Hermannus op. V, 91 proposuit ἄρχεσθ' ἀμώοντας (cf. Hesiod. ἔργ. 384: ἄρχεσθ' ἀμητοῦ), quam ad epicam formam ἀμώω pro ἀμάω comparari potest ζώω, quod legitur c. XXVI, 4. Vocalis α verbi ἀμάω ancipiter a Theocrito usurpata est VII, 29, XI, 73.

Sed etiam repeto, nihil sane adhuc mihi hoc idyllium pertractanti occurrisse, quod alienum esset a Theocriti sive ingenio sive dictione usuque, nisi forte eo offenderis, quod complures codices scholiaque vetera secuti nonnulli editores recentiores ut Hillerus in v. 2 contra usum Theocriteum (Theocritus pronomen ἑὸς non admisit nisi in epicis carminibus et in c. XII, 33 ionica dialecto composito) οὐθ' ἑὸν legi volunt. At quis est quin videat, lenissima mutatione legi posse οὐ τεὸν — οὐδ' vel οὔτε τὸν — οὐθ'; in cod. K.: οὐ τεὸν : τ eraso θ scriptum est.

Carmen XIX.

Κηριοκλέπτης.

Hoc carmen a Theocrito abhorrere id inter omnes viros dd. constat; Valckenarius, Hermannus, Meinekius Bioni nescio an recte attribuant; similiter Fritzschius, de buc. gr. poet. p. 40: „conspirat hoc carmen cum Bionis indole, maxime cum Amore Bionis in c. IV descripto.“ Simile poemation legitur inter Anacreontea (cf. Bergk. p. l.³ III, p. 1062, anacr. 33).

Carmen XX.

Βουκολίσκος.

Compositio huius idyllii, in quo bubulcus quidam narrat, ut ab urbica puella (numquam Theocritus rusticos homines congredientes finxit cum urbicis) repudiatus sit, quantum aliena sit a ratione Theocritea, haud opus mihi videtur verbosius explanare. Potius alia permulta eaque graviora afferam argumenta, quae confirment, hoc idyllium Theocrito abiudicandum esse.

v. 1. Insolentius γελᾶν cum acc. (cf. v. 15) usurpatum est pro καταγελᾶν τινος vel γελᾶν ἐπί τινι.

v. 2. Epicum verbum ἐνίσπω in bucolicis mimicisque carminibus nusquam inveni, cf. autem XXV, 34 et subditicium c. XXVII, 10. Pro ἐμεῖο Theocritus semper usurpavit ἐμεῦ (μευ).

v. 3. De attica forma ὧν a Theocrito nusquam admisso cf. adn. ad id. VIII, v. 52. Pro verbo κύσαι Theocritus ubique praebet φιλεῖν; cf. autem c. subditicium XXIII, 18 et Moschum in Europa v. 96.

v. 6. Verissime Meinekius (p. 330) adnotavit, Theocritum correptionibus ante βλ et γλ in bucolicis carminibus mimicisque usum non esse. Invenitur autem correptio in medio vocabulo XVII, 36: οὐκ ἀπό́βλητον, cum XVI, 63 legatur: βέ̆βλαμμένον. Diverse est Bion. III, 17: ἁδέᾰ βλάστῃ, XII, 3: τὰς δὲ̆ γλυκείας al. De structura huius versus abhorrente a Theocritea ratione iam supra disserui.

Ad verba ἄγρια παίσδεις cf. Mosch. Ἔρως δραπέτης v. 11: αγρια παίσδει.

v. 8. Pugnat cum usu Theocriti adiectivum ἁδὺς communium natura usurpatum; pro ἁδέα praebet Theocritus ἁδὺν; cf. autem ἁδεά πόρτιν in epitaph. Bion. 83, cf. Buechel. in mus. rhen. XXX, 36, Kuehner. griech. Gr.[2] I, § 127, 1 Anm. 2. Hiller. ad. h. l.

v. 11. Pronomen ἑὸς Theocritus in bucolicis mimicisque carminibus plane vitavit.

v. 12. Inusitate verbum simplex ἰδεῖν invenitur pro ποτιδεῖν.

v. 14. Voc. μορφή Theocritus non praebet, cf. autem c. XXIII (?) 2, 14, Mosch. II, 10, 163, Bion. I, 31, X, 5, XVII, 1. Verbum θηλύνετο eadem notione eademque in versus sede legitur

in epithalamio Achillis et Deidamiae Bioni sine dubio falso[1]) adscripto v. 18. Theocritus habet ἐν — διαθρύπτεσθαι cf. III, 36, VI, 15, XV, 99. Pro σεσαρώς exspectamus ex analogia usus Theocritei σεσαρυῖα cf. V, 116, VII, 19, cf. autem Lucian. Philopr. 26 σεσαρὸς ὑπομειδιῶντες cf. Haulerum l. l. p. 54.

v. 15. Forma ἐμοὶ pro ἐμὶν semel tantum a Theocrito admissa est ut sonus iniucundus vitaretur, IV, 30, ἐμοὶ νιν, ubi tamen Meinekius scribi vult ἐμὶν νιν contra fidem codicum qui ἐμοὶ praebent.

v. 16. Verbum φοινίσσεσθαι legitur Bion. I, 26. In epitaph. Bionis v. 51: νῦν ῥόδα φοινίσσεσθε τὰ πένθιμα.

v. 17. Ad hemistichium φέρω δ' ὑποκάρδιον ὀργὴν Fritzschius edit. II, 107 comparavit Bioneum illud (I, 17) φέρω ποτικάρδιον ἕλκος.

v. 18. Theocritus nusquam praebet ἑταίρα pro κώρα, cf. autem Mosch. II, 28, 111, φίλας — ἑταίρας. Falsa est scholiastae explicatio πόρνη.

v. 19. Verissime animadvertit Meinekius (p. 332), eundem poetam eandem vocem diverso significatu posuisse incredibile esse. Theocritus enim in epigr. XXI, 3 (est sane hoc epigr. Theocriti) κρήγυος usurpavit notione „bonus, probus, χρηστός", cf. etiam Hillerum ad h. l. Falsissime autem Haulerus l. l. p. 54 discrepantiam illam defendere studuit testimonio Dionysii apud Sext. Empir. c. gramm., I, 656. Bekk. ἱστορεῖ ὅτι κρήγυόν ἐστιν ἀληθὴς ἢ ἀγαθός. Notio „verus" invenitur Anth. Pal. V, 58, VII, 355; significatio „probus" legitur Jl. I, 106, Anth. Pal. VII, 648, IX, 355, VII, 284, Stob. floril. 28, 18, cf. Plat. Alc. I, 111, e. κρήγυοι διδάσκαλοι. Aeolicam formam ἐμμὶ (cf. Fritzschium et Hillerum ad h. l.), quam omnes codd. praebent, Theocritus vitavit; cf. autem Bion. I, 53. At enim Bion. I, 56 legitur εἰμὶ vulg. pro quo Brunckius recte ἐμμὶ posuit, quem secutus est Ahrensius, non item Meinekius.

v. 21. De ἐμοὶ forma cf. adn. ad v. 15.

v. 26. Pluralis στόματα pro singulari legitur etiam apud Mosch. II, 96, cf. Fritzsch. ed. II, p. 107, cf. etiam Rhiani epigr. in Anth. Pal. VI, 173, 4, cf. Meineke, anal. Alex. p. 210.

---

[1]) Hoc in idyllio v. 4 inveniuntur tres spondei continui; praeterea duo spondei continui primo et secundo pede sic admissi sunt, ut caes. mascula sequatur, v. 8 et 25. Quae abhorrent ab usu disciplinaque Bionis; cf. de usu Bionis metrico Buecheler. in mus. rhen. XXX, 34.

v. 28. Pro activo μελίσδω Theocritus usurpavit medium cf. I, 2, VII, 89. Videtur porro ab usu Theocriteo abhorrere locutio σύριγγι μελίσδειν (cf. VI, 44, XI, 30: σύρισδε), cf. autem lat. fistula canere et epigr. subditicium II, 1, σύριγγι μελίσδων, cf. denique Bionis epitaph. 50: σύριγγι μελίξεται.

De particula ἦν cf. adn. ad VIII, 26.

v. 29. „Frequens apud Theocritum ut pastoricium poetam est syringis, fistulae, tibiae memoria; at ne semel quidem commemoravit plagiaulum, quod fecit huius carminis auctor et Bion V, 7.“ Sic vere Meinekius p. 331. Idem dicendum est etiam de δώναξ instrumento, quod scholiasta explicavit per αὐλὸς . . . ἀπὸ καλάμας; cf. V, 7, καλάμας αὐλόν. Legitur autem δόναξ in epigr. II Theocrito falso adscripto v. 3, cf. etiam epitaph. Bion. v. 53, cf. Fritsch. ed. II, p. 107.

v. 35. De verbo νομεύειν intransitive usurpato cf. adn. ad VIII, v. 35.

Ad v. 41 recte Fritzschius ed. II, 107 adnotavit: „ne βοηνόμος quidem bubulcus a Theocrito dicitur, qui dixit βούτας vel βουκόλον.“

v. 43. Particulam ἠδὲ Theocritus non usurpavit nisi in carm. epicis XVI, 87, XVII, 124, XXII, 39, 58 (?), cf. autem carm. subditic. XXIII, 52.

v. 44. De forma ἀδέα cf. adn. ad v. 8.

Ad v. 45. Fritzschius ed. II, p. 107 hoc adnotavit: „apud Theocritum ubique praepositio ἀνὰ loci habet significationem: at temporis significationem habet in huius idyllii versu extremo, ubi ἀνὰ νύκτα plane ita dicitur ut a Bione id. I, 73.“ Verba denique μούνη δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδεις similiter leguntur in epithal. Achillis et Deidam. v. 28: μούνη δὲ νύμφα καθεύδεις.

Quantum dictio huius idyllii abhorreat a ratione Theocritea dicendi, satis mihi videor ostendisse. Est igitur hoc carmen non Theocriti sed imitatoris. Inveniuntur autem haec similiter apud Theocritum:

v. 5. τὸ καλὸν στόμα: I, 146, II, 126 (τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλησα), cf. Fritzsch. ad h. l.

v. 10. καὶ κακὸν ἐξόσδεις: V, 152 ταὶ παρὰ τὶν ὄσδοντι κακώτερον ἢ τύ περ ὄσδεις, cf. Fritzsch. ad h. l.

v. 11. Verba τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον repetita sunt ex id. VI, 39 τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον, cf. Fritzsch. ad h. l.

v. 17. ὑποκάρδιον ὀργάν: XI, 15 ὑποκάρδιον ἕλκος, cf. Fritzsch. ad h. l.

vv. 26—27. στομάτων . . φωνὰ . . μέλι cf. ad I, 146 πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα γένοιτο.

Praeterea iam Meinekius p. 328—9 versus 21—31, qui bubulci continent laudationem pulchritudinis suae, comparavit cum VI, 34—9, XI, 19, 30—41, 77—79.

Versus denique 33—42 expressa sunt ad exemplum id. III, 40—51; hoc autem in carmine genuino cum Adonis opilio (III, 46) vocetur, in subditicio idyllio XX bubulcus intellegendus est.

Quid porro quod id. XX, 41 Jupiter ipse (cf. Ovid. met. X, 158) aquilae natura specieque indutus Ganymedem subripuisse dicitur, cum plane aliter legatur id. XV, 124: αἰετοὶ (al. αἰετῷ) οἰνοχόον Κρονίδα Διὶ παῖδα φέροντες (al. φέροντος).

Quis auctor sit huius idyllii, incertum adhuc est, nam Ahrensii coniectura (in Phil. XXXIII, 598), hoc carmen fortasse esse Cyri cuiusdam, qui vixit temporibus Theodosii II, etiamsi haud paucis viris dd. arridebit, tamen certis argumentis nullis nititur. Nolo autem silentio praeterire, vv. 13—14 id. XX similiter legi in Meleagri epigr. (Anth. Pal. V, 179, 3): τί μάταια γελᾷς καὶ σιμὰ σεσαρὼς — μυχθίζεις.

Carmen XXVII.

Titulus Ὀαριστύς huic carmini sine dubio impositus est propter v. 13, in quo Sehrwaldius (Jahrb. f. Philol. 1882, p. 659—660) recte ex mea sententia sic legendum proposuit: τέρπ'. ὀαρίζειν pro cod. D: ΤΕΡΨΟΝΟΙΖΥΟΝ. Cf. etiam hom. h. in Mercur. 563: σὴν αὐτοῦ φρένα τέρπε.

Hoc idyllium Theocriti non esse, hodie quidem inter plerosque viros dd. constat. Videtur autem post Artemidori demum tempora scriptum esse; cf. Wilamowitzium in Herm. XIII, 276. Quid autem quod verba ἔστι καὶ ἐν κενέοισι φιλήμασιν ἀδέα τέρψις (v. 4) sine dubio sumpta sunt ex id. III, 20 [1]), quod certo demonstrare posse mihi videor?

---

[1]) Hac de quaestione diverse iudicarunt viri dd.: cf. Valckenar. in epist. ad Roeverum 21, Hauptium in mus. rhen. 1846, IV, 272 3, Buechelerum in mus. rhen. XV, 453, Junghansium, Jahrb. f. Phil. 1869, p. 526, Ahrens. in Phil. XXXIII, 588, Vahlenum in indic. lectt. Beroll. 1876, p. 11 al.

Hermannus doctissimus ille vir in opusc. VIII, 336 contendit, id. III constare quattuordecim strophis, quarum tres primae binos versus, ceterae omnes ternos habeant. Quod falso statuit. Nullam enim possum invenire causam, cur Theocritus diversa usus sit stropharum ratione. Attamen id. ex versibus imprimis 40 sqq. patet saltem, in strophas id. III esse distribuendum. Versus autem 40—54 non possunt distribui nisi ita ut quaeque stropha comprehendat ternos versus, quod item valet ex c. de versibus 15—17, quibus una expressa est sententia. Atque hanc stropharum rationem libere contendo per totum idyllium (exceptis scilicet vv. 1—5) esse adhibendam.

Itaque omnibus viris dd. consentientibus unus versus ex numero undequinquaginta versuum est delendus, quod si fecerimus, restabunt duodequinquaginta versus, qui facili opera possunt distribui in sedecim strophas ternorum versuum. Atque fuerunt, qui versum 20: ἔστι καὶ sqq. vellent amovere. Quorum virorum omnium a partibus ego quidem non sto. Ipse enim offendor versu 9: νύμφα, καὶ προγένειος sqq. quem si retineremus, stropha quattuor versuum evaderet, si quidem credimus, strophis singulis sensum sententiamque concludi (hoc necesse est statuamus hoc quidem in idyllio). Qua causa ductus persuasum habeo primum, v. 9 eliminandum esse. Procedo ad v. 24: ὤμοι ἐγὼ sqq., cuius ex verbis οὐχ ὑπακούεις; patet totum versum non prius potuisse pronuntiari a caprario, quam is interrogans aliquid nullum a puella ferret responsum. Nonne vides, versum 24 non legendum esse nisi post vv. 6—8? Deinde ubi versui illi subiunxerimus versus 10—11, tota quaestio facillima ratione diiudicata est.

Hoc loco praetermittere nolo iam Ahrensium in edit. magna et v. 9 eliminasse et v. 24 coniunxisse cum vv. 10—11. Causas autem, cur hoc fecerit, non praebet. Porro animadvertendum est, Ahrensium praeter necessitatem vv. 21—23 contra codicum auctoritatem collocasse inter v. 8 et 24, 10, 11.

Qua ex disputatione mea sequitur, verba ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι sqq. retinenda esse in id. III, atque inde illata esse in id. XXVII. Quod volui demonstrare.

Illud cum certum sit, id. XXVII a Theocrito scriptum non esse, supersedeo explanare, quantum compositio abhorreat a ratione Theocritea [1]).

---

[1]) Initium huius idyllii abesse legitur iam in edit. Junt.; cf. Hermannum in edit. Bionis et Moschi carminum p. 90, Wilamowitzium in Herm. XIII,

Daphnis in hoc idyllio neutiquam intellegendus est heros ille insignis bucolicae poeseos, sed vulgaris bubulcus. Prognatus autem est patre Lycida (hoc nomen legitur id. VII, 13) et matre Nomaea, cum Theocritus parentium Daphnidis nusquam mentionem fecerit. Puella autem vocatur filia Menalcae, quod nomen notum est praecipue ex idd. subditiciis VIII et IX. Cf. ceterum Fritzsch. in praef. ad hoc id.

v. 1. Verba τὰν πινυτὰν Ἑλέναν πάρος (πάρος elegantissime Hermannus coniecit pro Πάρις, quod propter sequens ἄλλος ferri non potest) ἥρπασε βουκόλος ἄλλος sumpta esse ex epithal. Achill. et Deidam. v. 10: ἥρπασε τὰν Ἑλέναν ποθ' ὁ βουκόλος id iam dudum viri dd. statuerunt.

v. 2. Neque ἐστὶ (sic libri) neque Hermanni conjectura ἔσχε aptum praebet sensum; egomet ipse propono ᾗς τι φιλεῦσα; cf. ad τι v. 10 εἰ δέ τι γηράσκεις.

v. 5. Huius idyllii scriptor praesens tempus summo studio praetulit futuro: πλύνω, ἀποπτύω; v. 8 παρέρχεται; v. 19 ἀρήγει; v. 20 φεύγεις; v. 21 φεύγω; v. 33 ἄγεις; v. 37 τεύχεις; v. 38 τεύχω; v. 53 βάλλεις· μιαίνεις; v. 56 ὀπάζω.

v. 6. Formae σεῖο et σέο (vv. 40 et 63) apud Theocritum non inveniuntur. ὄφρα Theocritus non praebet nisi in epicis carm. XVI, 30, XXV, 190.

v. 12. Prius hemistichion similiter legitur V, 32: τεῖδ' ὑπὸ τὰν κότινον; cf. porro huius id. v. 14: δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας cum I, 21: δεῦρ' ὑπὸ τὰν πτελέαν. Animadvertendum porro est, Theocritum quidem verbum considendi solere adicere cf. id. I, 21, V, 32. Verbum ἐπίσπειν, quod legitur etiam in v. 38, Theocritus nusquam praebet nisi in epico c. XXV, 34. Legitur autem in subditicio c. XX, 2.

v. 15. Verba τὴν σαυτοῦ eadem sede inveni id. V, 61. Verbum ἀρέσκειν quater apud Theocritum (I, 10, VII, 50, XIV, 36, 64) cum dativo personae coniunctum invenitur.

v. 16. Theocritus Παφία nomen vitavit, cf. v. 14, 15, 55. Bion. I, 64 al., cf. Fritzschium et Hillerum ad h. l.

v. 17. Adverbium μόνον pro adiectivo positum est, qui usus Theocriti non est; cf. autem Catull. in com. Beren. v. 59.

---

277 sqq. ad vv. 9 sqq., Hauptium in mus. rhen. 1845, IV, 274—6. Moneo porro, complures versus transponendos, alios corrupte traditos esse, ita ut disputanti de hoc idyllio haud paucae obstent difficultates; cf. imprimis v. 9 (ἁ σταφυλίς sqq.) de quo disputaverunt Wilamowitzius l. l. et Sehrwaldius l. l.

v. 24. In enuntiato interrogativo potentialem habente potestatem Theocritus numquam particulam κᾶ (κε, ἂν) omisit. Huius autem idyllii auctor ἂν omisit etiam in v. 60. Theocritus ἂν praebet etiam ibi, ubi τάχα adscriptum est, cf. ex. c. III, 39, cf. Meinek. ad v. 60, Hiller. ad v. 60.

v. 30. Insolenter βασίλεια legitur notione patronae.

v. 31. Inusitatissima est anticipationis forma: sensus autem hic est: τρομέω μὴ τῷ τεκεῖν (— τεκοῦσα) καὶ (vel) χρόα καλὸν ὀλέσσω = τρομέω τεκεῖν . . . καὶ μὴ . . . ὀλέσσω. Verba χρόα καλὸν eadem sede etiam VI, 14 legi, iam Fritzschius ad h. l. adnotavit.

v. 31. De particula ἤν (cf. v. 32) cf. adnot. ad id. VIII, 26.

v. 34. Verba πάντ' ἄλσεα leguntur eodem loco I, 83.

vv. 35—36 medela egent, nam quid velint verba καὶ ἢν ἐθέλῃς με διῶξαι haud video. Falsam scripturam οὐ μ' αὐτὸν τὸν Πᾶνα scriptor huius id. invenit iam V, 14, ubi tamen sic legendum est: οὐ μὰν οὐ τὸν Πᾶνα, quia μὰ elidi non potest; cf. Meinek. ad V, 14.

v. 38. Voc. πώεα (sic vulg.; noli cum Ahrensio scribere δώματα) apud Theocritum non legitur: offendit porro articulus τὰ.

v. 44. Dictionem ἄκρα τιμίη ἐσσί verissime Hillerus insolentem vocavit.

v. 45. Molestum est σέθεν bis positum.

v. 46. Verba ῥαδιναὶ κυπάρισσοι eadem sede sunt XI, 45.

v. 47. Ad αἶγες ἐμαὶ Fritzschius comparavit V, 1.

v. 48. Inusitate νοεῖν significat „oculis contemplari“, cf. germ. in Augenschein nehmen.

v. 50. Pro διδάξω, quod omni sensu caret, Briggsius meo quidem iudicio feliciter coniecit: διώξω; cf. Eur. Jon. 962: μαστὸν διώκοντ'.

v. 52. Pro κῶρα Theocritus habet κώρα; cf. autem Call. h. in Dianam 72: κοῦρα; simili insolentia v. 55 μίτρᾶν legitur (cf. Meinek. ad h. l.); cf. ὕλαν in carmine in Adonidem falso Theocrito adscripto v. 44. Theocritus ne vocativum νύμφα quidem α correpto usurpavit, cf. autem Jl. 3, 130 al. et Schneider. ad Call. h. III, 72.

v. 52. Offendit τρέμειν c. dativo.

v. 61. Infinitivus δόμεν legitur pro δώσειν; cf. Od. IV, 254 ὤμοσα . . ἀναφῆναι; id. XXI (?), 59 ὤμοσα . . θεῖναι; cf. Kuehner.

Griech. Gr.² II¹, p. 163—65. In genuinis Theocriti carminibus simile exemplum non mihi occurrit.

v. 62. Verba καὶ τὰν ψυχὰν simili sensu eademque versus sede reperiuntur id. XI, 52.

Carmen XXI.

Ἁλιεῖς.

Si minus certis argumentis demonstrari potest, tamen verisimile est, hoc idyllium esse imitationem Sophronis (scripsit Sophron mimum Θυννοθήρας et fortasse etiam Ἁλιεῖς, cf. Ahrens. de gr. dial. II, 466). „Verum hac ex re nihil sequitur, id quod Heinsium lectt. Theocr. 376 secuti multi iudicaverunt, ut hi piscatores a Theocrito[1]) scripti sint, quippe qui Sophronem ducem habuerit. Potius si quis hodie hoc carmen sine auctoris nomine invenerit, is neque primo oculorum obtutu neque considerato diutius argumento agnosceret scriptum Theocriti neque quidquam ad huius idyllia animum eius adverteret. Cui si alius Theocritum hoc scripsisse carmen diceret, ille miraretur ante omnia, quod amoris in hoc carmine nulla omnino mentio fieret, quum esset nullum a Theocrito scriptum pastorale, nullum mimicum, nullum lyricum, in quo non meminisset partes quasdem amoris esse.“ Quae verba Fritzschii (cf. praef. ad h. id.) plane mea facio.

a. De argumento.

Toti carmini subest moralis quaedam vis, quod per se ipsum nulli quidem est offensioni, nam quis est quin meminerit versuum 57—59 idyllii X? Verum illud premendum est, quod admonitio, quae legitur X, 57—59 ad solum Bucaeum vel, si mavis, ad unum hominum ordinem spectat, cum id. XXI vv. 63—67 (cf. etiam vv. 1—5) sententiam exprimant, quae ad omnes cuiusvis generis homines potest referri (cf. Fritzschium in praef. ad h. id.), quae ipsa ratio plane aliena est a Theocrito, qui lectores non vult docere, sed delectare, quique adeo non sententias communis potestatis carminibus suis illustravit, ut

---

[1]) Theocritus imprimis pastoricias res expressit idylliis suis; carmine X duorum messorum vitam condicionesque tractavit; eundem poetam per se quidem etiam piscatorum vitam describere potuisse, nemo erit quin intellegat ex id. I versibus 39 sqq.: τοῖς δὲ μετὰ γριπεὺς τε γέρων sqq., ex id. III, v. 26: ὧπερ τὼς θύννως σκοπιάζεται Ὄλπις ὁ γριπεὺς et ex Berenicae fragm. apud Athen. VII, p. 284 a.

unum illud amatorium argumentum (cf. praecipue XI, 1 sqq., XIII, 1 sqq.) hilarissimo sane ioco pertractaret eoque haud raro cum ironia quadam (cf. X, 21 sqq., 38 sqq. al.) commixto. Atqui mirum quantum ab hac Theocriti natura consuetudineque abhorret universa illa huius idyllii sententia: „Nolite, homines, vanis somniorum imaginibus leviter confidere, quod tamen si facientes a cotidiana vivendi ratione recesseritis, perniciem vobis moliemini; potius naviter atque impigre agite negotiaque strenue obite; tum salvi eritis (vv. 63—67); quam sententiam ita versibus 1—5 poeta praeparavit: magis vobis, homines, proderit, si quamvis pauperes sorte vestra contenti eritis quam si considerando et sperando longius procedetis; nam plerumque notum est spes illas non magis expleri quam ὕπνων ἐλπίδας". Sic fere poetam dicere voluisse ego quidem cogito; cf. ceterum Fritzsch. praef., Birt. Elpides, Kaibelium, deutsche Litteraturzeitung II, 1774.

b. De compositione.

Versus 1—5 sunt instar prooemii, quod communem amplectitur sententiam, quam ut poeta ostenderet veram esse, illustrandi causa exemplum non, ut Theocritus id. XI, 1—4, 5 sqq. et XIII, 1—4, 5 sqq. fecit, ex mythologia sumpsit, sed ex cotidiana hominum vita. Quid porro quod in c. XXI exempli narratio contra usum Theocriteum quasi asyndeta abruptaque oratione asseritur, cum plane diverse legatur XI, 5 sqq.: γινώσκειν δ' οἶμαί τυ . . . οὕτω γοῦν sqq. XIII, 1 sqq.: οὐχ ἁμῖν . . μόνος . . ἀλλὰ καὶ sqq.? Similiter dicendum est de ratione illa, qua de narratione (vv. 6—21) transitur ad dialogum [1]); cf. ex c. VI, 5.

c. De dictione. [2])

Disputanti de hoc idyllio permultae difficultates occurrunt, quia corruptissimum sane est et valde vel boni codicis vel docti

---

[1]) De personarum distributione nihil certi audeo (cf. Kaibelium in Herm. XV, 454) statuere; cogitari quidem potest, alteri piscatori nomen Ἀσφαλίων fuisse; nam illud nomen piscatori perapte potuit imponi; cohaeret enim sine dubio cum Neptuno Asphalio (Paus. III, 11, 9; VII, 21, 7 al.). Sunt autem qui pro Ἀσφαλίων legant ἄπφ' ἅλιον (ἁλίως) s. ἄπφα λίην. Alteri denique animadvertere volo piscatori necesse non fuisse ipsi quoque nomen proprium imponi, cf. id. I, in quo Thyrsis oppositus est αἰπόλῳ τίνι.

[2]) Liceat mihi, in hoc quidem idyllio non solum talia commemorare, quae ab usu Theocriteo abhorrere videantur, sed etiam alia apponere pauca ad explicationem atque interpretationem.

scholiastae auxilium exspectat, quod non solum Hermanni (cf. opusc. V, 110) temporibus dici potuit sed hodie quoque valet, quamvis multi viri dd. hoc carmen temptarint. Cf. Doehlerum in progr. Brandenburg. 1869, 2—22, Kaibel. in Herm. XV, 454, Schmidtium in mus. rhen. XXVI, 181, Buechel. in mus. rhen. XXX, 49 al. Utique autem Theocrito hoc carmen abiudicandum est propter particulam ἤν (v. 4; cf. adn. ad id. VIII, 26), pronomen ἑὸς (sic v. 27 recte legitur; cf. adn. ad id. X, 2), pronomen σφέτερος (v. 21), quod in bucolicis mimicisque carminibus Theocritus plane vitavit.

v. 2. Pro αὐτὰ τῶ Buechelerus l. l. p. 50, cum offenderetur articulo, ingeniose quidem coniecit αὐτομάτῳ (idem voc. invenitur etiam v. 27 eadem sede); at enim num verum statuerit, dubito; primum enim articulus hoc quidem in idyllio vix praebet offensionem, cf. v. 8, ubi omnes libri habent κοίτῳ τῷ φυλλίνῳ. Hermannus quidem (cf. opusc. V, 110) hoc loco pro τῷ scribendum proposuit πρὸς, cum Meinekius coniecerit ἐπὶ. At potesne intellegere, qui factum sit ut librarius quidem pro ΕΠΙ sive ΠΡΟΣ scriberet ΤΩ? Meinekius pro αὐτὰ scribi vult αὖτα; egomet ipse retineam αὐτὰ, quod vocabulum auctor huius id. fortasse variationis causa usurpavit notione μόνος, qui usus identidem invenitur apud Theocritum cf. V, 85, X, 19, XI, 12. Cf. Verg. G. III, 316: atque ipsae memores redeunt intecta. Pro αὐτὸς legitur αὐτόματος in Anth. Pal. VII, 173: αὐτόμαται δειλαὶ ποτὶ ταὔλιον αἱ βόες ἦλθον ἐξ ὄρεος, ita ut fortasse sit, qui pro αὐτὰ τῶ μοχθοῖο s. αὐτομάτῳ μόχθοιο legi posse credat αὐτομάτα μόχθοιο διδάσκαλος; ad notionem voc. αὐτόματος tum comparari possit german. von selbst.

v. 3. Ad ἀνδράσιν ἐργατίναισι, cf. id. X, 9: ἐργάτᾳ ἀνδρί.

v. 4. Excepta edit. Iunt. quae habet ἐπιψαύσῃσι, ceteri libri praebent ἐπιβησέῃσι (. . σέεισι . . σῃσι), pro quo Ahrensius verissime videtur coniecisse ἐπιμύσσῃσι (in codicibus persaepe μ littera permutata est cum u = β). Similiter enim in hom. Batrach. 193—196 (ed. Ilgenius) sit legitur: ἀλλά με . . ὕπνον δευομένην . . . οὐκ εἴασι θορυβοῦντες (sc. οἱ βάτραχοι) οὐδ' ὀλίγον καταμῦσαι. Quae Ahrensii coniectura si vera est, ὀλίγον cum νυκτὸς coniungendum est. De verbo ἐπιμύειν autem omisso accusativo τοὺς ὀφθαλμοὺς s. τὰ ὄμματα cf. Polyb. 4, 27, 7: ἄνοια τὸ δοκεῖν, ἐάν τις αὐτὸς ἐπιμύῃ μηδὲ τοὺς πέλας ὁρᾷν sqq. Apud Oppianum quidem hal. 2, 110 legitur ὄμματ' ἐπιμύει (cf. Doehler. p. 8).

Commemorare denique volo productionem ante μ eodem in verbo legi apud Opp. cyn. 2, 290: ὠτειλαὶ δ' ἑκάτερθεν ἐπιμύσσουσιν ὀδόντων. Meinekius Ahrensii coniecturam non probavit propter productionem brevis syllabae ante liquidam, cuius licentiae nullum apud Theocritum nisi in epicis carminibus exemplum exstare. At enim hoc id. cum Theocriti non sit, non est cur offendamur productione illa. Probo igitur Ahrensii coniecturam item atque Fritzschius, Doehlerus, Hillerus al.

v. 6. Pro ὁμῶς exspectamus ὁμοῦ; neque enim utrumque pariter piscatorem fuisse dicendum erat, sed ambo una sub eodem tugurio cubuisse. Cf. Meinek. ad h. l.

v. 8. Pro ἐγγύθι Theocritus praebet ἐγγύθεν (III, 8, IV, 63, VII, 112, 136) sive ἐγγὺς (XVII, 69, XXII, 69).

v. 9. Verbosa illa singulorum instrumentorum enumeratio vv. 9—13 (abhorret ea ab usu Theocriteo) videtur prodere auctorem epigrammatum anathematicorum (cf. Anth. Palatinae librum VI).

v. 13. Extrema huius versus verba multis coniecturis temptarunt viri dd. Ahrensius pro codicum εἵματα πύσοι s. εἵματ' ἄπυσοι coniecit εἷμα τάπης τε sive τάπης ἦν (Hillerus probavit εἷμα τάπης ἦν); similiter Hermannus quondam εἷμα τάπις σφι legi voluerat; cf. Hesych. τάπις· προςκεφάλαιον. Recte tamen Meinekius p. 340 dicit: „non credo cervicale dici, cuius vice fungebatur storea eodem versu memorata; sed τάπητα intellego de stragula ἐπιβολαίῳ". Quam ad notionem stragulae cf. Jl. 9, 200: εἷσεν δ' ἐν κλισμοῖσι τάπησί τε πορφυρέοισι, Od. 4, 298: στορέσαι τ' ἐφύπερθε τάπητας. Fritzschius retinuit εἵματα πῦσοι, cum arbitraretur, πῦσοι vocabulum sumptum esse cotidiana vita. Birtius (das antike Buchwesen, p. 225, 2) proposuit εἷμα πάπυροι, quod vocabulum si esset retinendum, ego quidem mallem scribere παπύρου; cf. Anacr. 30, 4—5 (Bergk. p. l. gr.[3] III, 1061): ὁ δ' Ἔρως χιτῶνα δήσας ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ sqq. Doehlerus secutus editt. Junt. Call. scribit: εἵματα, πῖλοι; recte tamen Hermannus opusc. V, 110—111 sic adnotat: „id si intellegitur, vestes pileosque iacuisse illo in tugurio, opulenti videri deberent hi pauperrimi piscatores, qui certo non alia quam quibus induti erant vestimenta habebant. Quare haec coniungenda, εἵματα πῖλοι, vestes eorum ex pilo erant." Quae explicatio probabilis esse videatur; πῖλοι enim tegumenti loco usitati inveniuntur ex. c. Xen. Cyr. 5, 5, 7, cf. Plut. Artax. 11 al. Mihimet ipsi videtur

aliquid auxilii repeti posse et ex Paus. X, 29, 8: ὁ δὲ . . . ἀμπέχεται φορμὸν ἀντὶ ἐσθῆτος σύνηθες τοῖς ναύταις φόρημα et ex Aristoph. Plut. 542: καὶ φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρὸν. Pro codicum enim ΕΙΜΑΤΑΠΥΣΟΙ scriptura lenissima mutatione legi potest ΕΙΜΑΠΑΡΗΣΟΥ: εἶμα παρῆς (παρῆν) οὔ.

v. 19. Verba κοὔπω τὸν μέσατον δρόμον ἄνυεν similiter leguntur VII, 10: κοὔπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνυμες et III, 41: μᾶλ' ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν.

v. 26. Verba τὸ καλὸν θέρος leguntur etiam VI, 16. Vocabulum καιρὸς positum est pro χρόνος contra usum Theocriteum, cf. II, 92: ὁ δὲ χρόνος ἄνυτο φεύγων, VII, 1, XIV, 69, XV, 1. Verba οὐ γὰρ ὁ καιρὸς αὐτομάτως παρέβα τὸν ἑὸν (sic lege pro νεὸν) δρόμον verissime Kiesslingius sic vertit: tempus non sponta sua contra leges naturae extra cursum suum evagatur.

v. 30. Contra usum Theocriteum insolenterque hoc id. laborat oratione abrupta, cf. vv. 12 sqq. 48, 52, 53. Quamobrem necessaria non videtur Meinekii coniectura οὐ δέ σε λῶ pro οὔ σ' ἐθέλω. Hoc loco animadvertere volo, asyndeta, quae sunt in c. XXVI, enuntiata multum habere excusationis, quod infra exponam.

v. 31. Exspectamus fortasse ὡς τὰν ἄγραν, οὕτω καὶ τὠνείρατα πάντα μερίζευ; cf. autem Leonid. Tarent. epigr. LIX, 7: πάνθ' ὅσα κὴν ζωοῖς ἐπεπάμεθα ταῦτα παρ' Ἀΐδαν sqq. et id. VIII (?) 88 sqq.

v. 36. Codices habent ἄλλον, ἄλονος, ἄλλονος ἐν ῥάμω (ῥάμῳ, ῥάμνω). Qua ex scriptura plerique recentioris memoriae viri dd. eruendum putaverunt ἀλλ' ὄνος ἐν ῥάμνῳ, quod tamen falso legi ego quidem persuasum habeo. Propius Ahrensius ad verum accessit: Ἀδὼν ἐν δρυμῷ (sic Doehlerus quoque scribi vult) neque tamen causas attulit cur ita coniceret. Ipse propono ἀδὼν ἐν ῥάμνῳ sive θάμνῳ (parva est differentia inter ρ et θ). Fuit enim apud veteres proverbium notum: οὐδ' ὅσσον ἀηδόνες ὑπνοῖ quod dictum est ἐπὶ τῶν ἀγρυπνούντων (cf. Meinek. p. 460; paroemiogr. I, 493, II, 540); cf. Nicochar. B. A. 349: ὕπνος ἀηδόνειος de somno exiguo usurpatum; Nonn. Dion. V, 411: ex Graefii emendatione: ἁρπάξαντες ἀηδονίου πτέρον ὕπνου. Quid autem velit proverbium illud, aptissime videtur mihi intellegi posse ex Aesch. Agam. vv. 1096 sqq. (ed. Kirchh.): οἵά τις ξουθὰ ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ, ταλαίναις φρεσὶν Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς ἀηδὼν βίον.

Ad particulam ὡς (ὥσπερ) cf. ex. gr. Soph. Oid. Col. 1081: εἴθ' ἀελλαία . . πελειὰς αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι sqq. Aesch.

Prom. 854—5: οἵ δ' ἐπτοημένοι φρένας, κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι, ἥξουσι. Agam. 791: ὑπερθορὼν δὲ πύργον ὠμηστὴς λέων al.

v. 40. Omnes codices praebent οὐκ ἦν μάν, quod nescio num Kaibelius in Herm. XV, 455 ideo mutaverit in οὐ μὰν οὐ, quod Theocritus negationem numquam disiunxit a particula μήν. An re vera „ratio grammatica clamat οὐ μὰν οὐ?" Quid quod apud Aesch. Sept. 791 legitur: οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν similiterque Agam. 1622 ἀλλὰ κἀγὼ μήν? Cf. etiam Soph. O. Col. 28 ἀλλ' ἐστὶ μήν?

vv. 44—5. Insolentissima est comparationis ratio: exspectamus enim: ἐγὼ δὲ ἰχθὺν vel καὶ ἐγὼ ἰχθὺν vel ὥσπερ κύων . . . οὕτω καὶ ἐγὼ ἰχθύν, cf. adn. ad v. 31.

v. 50. Particulam εἶτα Theocritus non praebet.

v. 53. Non legi potest nisi εἶχέ με (sic Call.). Oratio autem abrupta identidem invenitur in hoc id. Plura haud audeo statuere de huius idyllii dictione, cum non fere nisi suspicari possimus, quid singulis locis legendum sit.

Transiens nunc ad quaestionem illam, quisnam sit auctor huius idyllii, haec puto statuenda esse: auctor fuit amicus Diophanti cuiusdam; haud imperitus fuit rerum piscatorum; hoc ad idyllium scribendum sine dubio adductus est exemplo Theocriteorum idylliorum, quin etiam necesse est statuamus eum aliquot locos Theocriteos imitatum esse, cf. adn. ad vv. 3, 19, 26; propter vv. 9—13 cogitari potest, auctorem saltem non inscium fuisse epigrammatum anathematicorum; fortasse ipse talia epigg. scripsit.

Quae omnia videntur quidem mihi quadrare in Leonidam, insignem illum auctorem multorum anathematicorum epigrammatum, qui ortus est Tarenti in urbe illa frequenti piscatoribus, cf. Arist. Pol. ed. Bekker. 1878, p. 153: πολλάκις γὰρ ἕκαστα τούτων πολύοχλοι, οἷον ἁλιεῖς ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ. Ex ipsius autem Leonidae epigrammatis intellegimus, eum vixisse aetate Pyrrhi et Aratum vita superasse, cf. Anth. Pal. IX, 25: γράμμα τόδ' Ἀρήτοιο δαήμονος, ὅς ποτε λεπτῇ φροντίδι δηναιοὺς ἀστέρας ἐφράσατο (cf. Couat l. l. p. 488). Inveni porro dictiones nonnullas Leonidae, quae sine dubio sumpta sunt ex Theocrito, cf. Theocr. XV, 83: ἔμψυχ' οὐκ ἐνυφαντά cum Leon. epigr. 182 anth. Plan. append. (Iacobs, A. Pal. II, p. 680): Ἀπέλλης Κύπριδος κάλλος ἱμερώτατον οὐ γραπτὸν ἀλλ' ἔμψυχον (hoc voc. ἔμψυχος de imagine

dictum ante Theocriti tempora non invenitur) ἐξεμάξατο, cf. Theocr. XVII, 122: ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη, XVII, 37: ἐσεμάξατο χεῖρας. Gravius autem est quod in Anth. Pal. VI, 4 epigramma Leonidae (i. e. Tarentini, ut perspexi ceteris huius poetae epigrammatis perlustratis) invenitur, in quo commemoratur Diophantus quidam piscator, qui Neptuno θήκατο τέχνας, ὡς θέμις, ἀρχαίας λείψανα τεχνοσύνης: dedicavit autem instrumenta piscatoria, quae plura etiam inveniuntur in idyllio XXI, 9 sqq.: ἄγκιστρον, δούρατα δουλιχόεντα, ὁρμειὴν, σπυρίδας, κύρτον, τριόδοντα, ἐρέτας. Quae mea coniectura si vera [1]) est, illud quoque intellegitur, cur πενία sit argumentum carminis XXI. Nam ipse quoque Leonidas pauper fuit: vocat sese πενέστην (= πένητα), ὀλιγησίπυον, nominat autem πενίην ἐχθρὰν, cf. Anth. Pal. VI, 300; alio in epigr. A. P. VI, 302 legitur: φεύγετ' ὑπ' ἐκ καλύβης μύες sqq. Praeterea compluribus in epigrammatis vitam piscatoriam descripsit; cf. A. P. VII, 295, 504, 506 sqq., piscatores autem vocat ἰχθυβόλους, ἰχθυολῃστῆρας, ἰχθυοθηρητῆρες. Leonidam denique si statuimus auctorem id. XXI, cogitari potest, verba τὸ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ v. 36 proverbium fuisse proprie Tarenti quoque pervulgatum. Dionysius enim iunior, Siciliae tyrannus, Tarentinis dedicavit εἰς τὸ πρυτανεῖον λυχνεῖον, quod potuit καίειν τοσούτους λύχνους ὅσος ὁ τῶν ἡμερῶν ἐστιν ἀριθμὸς εἰς τὸν ἐνιαυτόν; sic narrat Euphorion ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, cf. Meinek. anal. Alex. p. 61.

Carmen XXIII.

Ἐραστής.

Hoc carmen corruptum est ut quod maxime. Quamobrem interpretanti hoc carmen permagnae sunt superandae difficultates. Sed utut est, utique primo obtutu eum qui perlegerit hoc carmen comparaveritque dictionem cum Bionea, non latebit, hoc id. adeo non Theocriti esse ut Bionis disciplinam redoleat praeceptaque. Huc accedit quod in v. 52 particula ἠδὲ et v. 55 pronomen ἑὸς legitur, quibus vocabulis Theocritus in epicis tantum carminibus locum concessit.

---

[1]) Epigrammata Leonidae, quae accuratissime inspexi, vix praebent ausam coniecturae meae refutandae. Nam etiamsi Leonidas elegantissima scripsit epigrammata, tamen ex hoc nihil in tempore potest repeti ad opinionem meam reiciendum, cum id. XXI corruptissima forma ad aetatem nostram pervenerit. Utique haec quaestio digna videtur, quae etiam ab aliis viris tractetur.

Sunt in hoc carmine, quae sumpta sint ex Theocriti idylliis genuinis. Atque primum argumentum huius carminis in universum potest comparari cum argumento id. III, in quo Theocritus caprarium quendam inducit maerorem suum ante Amaryllidis antrum aperientem mentemque levantem. Quin etiam plura repetita sunt ex id. III, v. 4: κοὐκ ᾔδει τὸν Ἔρωτα τίς ἦν θεὸς, id. III, 15: νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα, v. 19: κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας, id. III, 15: ἦ ῥα λεαίνας μαζὸν ἐθήλαζε, v. 20: δῶρά τοι ἦλθον . . λοίσθια ταῦτα φέρων, id. III, 10: ἠνίδε τοι δέκα μᾶλα φέρω.

Alia hausta sunt ex aliis carminibus Theocriteis: v. 8: ῥοδόμαλον, id. X, 34: ἢ ῥόδον ἢ τύγε μᾶλον, cf. etiam XI, 34: ἤρατο δ' οὐ μάλοις οὐδὲ ῥόδῳ, cf. II, 120, III, 10, V, 88; v. 9: τὸ κουφίζει τὸν ἔρωτα, XI, 3: κοῦφος eadem legitur notione; v. 29: καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστι, id. X, 28: καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστί; v. 30: λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, id. XI, 56: κρίνα λευκά; v. 34: τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος, VII, 55: ὀπτεύμενος ἐξ Ἀφροδίτης (voc. ὀπτεύμενος eadem sede utroque in loco legitur).

Complura indicant apertissime imitatorem Bionis:

v. 5. Voc. ποτικάρδια (sic lege) eadem sede invenitur Bion. I, 17: ποτιμάρδιον ἕλκος.

v. 19. Verba ἄγριε παῖ καὶ στυγνὲ cf. ad Bion. I, 52: πὰρ στυγνὸν βασιλῆα καὶ ἄγριον.

v. 25. φάρμακον . . ἀμέλξω, Bion. I, 48: τὸ δέ σευ γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω.

v. 28. Verba καὶ τὸ ῥόδον in initio versus reperiuntur Bion. I, 11.

vv. 37—40. cf. cum Bion. I, 40—55: ὡς ἴδεν, ὡς ἐνόησεν Ἀδώνιδος ἄσχετον ἕλκος, ὡς ἴδε φοίνιον αἷμα μαραινομένῳ περὶ μηρῷ πάχεας ἀμπετάσασα κινύρετο· μεῖνον Ἄδωνι, δύσποτμε, μεῖνον Ἄδωνι, πανύστατον ὥς σε κιχείω, ὥς σε περιπτύξω καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.

v. 40. τὸ δ' αὖ πύματόν με φίλησον ad verbum legitur Bion. I, 45.

v. 41. ἐραστὴς adhortatur amasium κἂν χάρισαι νεκρῷ τὰ σὰ χείλεα, cf. Bion. I, 13—14: Κύπριδι μὲν τὸ φίλημα καὶ οὐ ζώοντος ἀρέσκει, ἀλλ' οὐκ οἶδεν Ἄδωνις ὅ μιν θνάσκοντ' ἐφίλησεν.

v. 45. καὶ τοῦτο (sc. ἐπάπυσον). καλὸς δέ μοι ὤλεθ' ἑταῖρος, cf. Bion. I, 5: καὶ λέγε πᾶσιν· ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.

Vides quam multa auctor id. XXI hauserit e fonte Bioneo.

Alia similiter inveniuntur in Moscheis et Bioneis: Vocabulum φίλτρα (cf. v. 1 πολύφιλτρος) notione amoris (alia notio est

id. II, 1) usurpatum a Theocrito plane abhorret; cf. autem Mosch. VII, 8, Bion. I, 48. De aliis exemplis poetarum seriorum cf. Hermann. Orph. p. 823.

v. 2. Voc. μορφή apud Theocritum non invenitur, cf. autem Mosch. II, 10, 163, Bion. I, 31, XVII, 1, X, 5. Animadvertendum porro est, propter Bion. X, 5: ἄγριον ἄστοργον μορφᾷ νόον οὐδὲν ὁμοῖον in id. XXIII, 2 fortasse pro οὐκέθ' (cf. Meinek. ad h. l.) legendum esse οὐδὲν.

Sententia denique, quae est in vv. 62—63 plane est Moschea et Bionea: cf. Mosch. VI, 7—8: ταῦτα λέγω πᾶσιν τὰ διδάγματα τοῖς ἀνεράστοις· στέργετε τοὺς φιλέοντας, ἵν' ἢν φιλέητε φιλῆσθε. Bion. VIII, 1: ὄλβιοι οἱ φίλεοντες ἐπὴν ἴσον ἀντεράωνται, IX, 8: καλὸν δὲ τ' ἐρασσομένῳ συνέρασθαι [1]).

Hoc idyllium etiam in Artemidorea collectione fuisse, concludi potest ex versu potissimum 21: δῶρα . . . λοίσθια ταῦτα φέρων, quem Vergil. ecl. 8, 60 imitatus est: „extremum hoc munus morientis habeto.“ Ceterum cf. Fritzsch. in praef. ad h. id. Unde sequitur, auctorem huius id. vixisse inter Bionis et Augusti tempora.

Dialectus porro id. XXIII plane consentit cum dialecto Bioneorum, quod in universum etiam de re metrica (cf. de usu Bioneo Buecheler. in mus. rhen. XXX, 34) dici potest: tres enim spondei continui non inveniuntur; identidem autem duo spondei continui sunt in secundo et tertio pede intercedente caes. mascula; verum in primo et secundo pede spondei duo non solum sic inveniuntur, ut sequatur caesura mollior (hoc est usus Bionis ipsius in epitaph. Adon. al.), sed etiam ita, ut sequatur caes. mascula, cf. v. 26, 39. Unde illud potest concludi, auctorem huius idyllii non eundem esse discipulum Bionis, qui scripsit epitaph. Bionis (hic Bionis discipulus plane secutus est metricam normam magistri), sed alium quendam, qui tamen novit etiam epitaph. Bionis, nam verba τὰ σὰ χείλεα v. 41 eadem sede reperiuntur in epitaph. Bionis vv. 31, 52. Bionis porro disciplinae est proprius spondeus ante caes. bucol. ita tantum admissus, ut quarti pedis altera syllaba sit monosyllaba: cf. id. XXIII, 53 cum Bion. I, 8, 24, 70, 74, III, 5, V, 2, 7, 8, 11, VII, 10, 11, XVI, 1. Epitaph. Bionis v. 1, 108.

Particula denique ἠδὲ est etiam Bion. X, 1.

---

[1]) Noli omittere, haud pauca eorum, quae adnotavi, iam Fritzschium et Hillerum animadvertisse.

De dictione.

v. 3. Hiatus οὐδὲ ἓν plane abhorret a ratione Theocritea: cf. autem Anth. Pal. VII, 629, IX, 234, 4; 138, 3, Arist. Lys. 1044, Plut. 37, 138, 1115, 1182, Ran. 927: ante εἷς et ἕν; cf. etiam Meinek. p. 492.

v. 4. Inusitatissime ἦν legitur pro ἐστὶ, quod sentiens Meinekius proposuit τίς ὢν . . . θεὸς ἡλίκα . . . χῶς (pro πῶς; sic iam Wartonus) . . . βάλλει.

v. 6. Pro ΑΤΕΙΡΗΣ Kaibelius in Herm. XV, 455 verissime coniecit ΑΠΗΝΗΣ mutatione sane lenissima; ad voc. ἀπηνὴς cf. vv. 1, 48, Bion. XII, 3.

v. 7. Vocabulum πυρσοὶ notione amoris Theocriteum non est, quod item valet de voc. φλὸξ v. 16.

v. 9. Pro τὸ κουφίζει legendum est φιλάματ᾽ ἐκούφιζον (sic Ahr.; codd. τὸ κουφίζον et κουφίζειν).

v. 10. οἷα respondens particulae οὕτως multum habet offensionis, aliter legitur II, 24 sqq. ὡς — οὕτω, VII, 153 sqq. τοῖον — οἷον, VII, 97 τόσον — ὅσον. Nihil huc pertinet I, 87: οἷα βατεῦνται.

Coniunctivus ὑποπτεύησι secundum usum Homericum positus est, cf. ex. c. Jl. 5, 161: ὡς δὲ λέων . . ἄξῃ sqq.

v. 11. Rectissimi Kaibelius in Herm. XV, 456 adnotavit: „Ineptum est πάντ᾽ ἐποίει pro quo reponendum aliquid, quod simile sit verbo ὑποπτεύειν. Quod quin παπταίνει sit dubitari non potest, dubitari autem potest deinceps scribendum sit cum Ahrensio ποτιδὼν βρότον an ποτιὼν βροτὸν."

Egomet ipse propono: οὕτω πάπταινεν (imperfectum exspectamus) ποτὶ τὸν βροτὸν (Meinekius ἀντώπει ποτὶ τὸν βροτὸν); de παπταίνειν πρὸς cf. Od. 12, 233.

Mirum porro in modum βροτὸν positum est pro ἄνδρα, cf. Hiller. ad h. l.

v. 15. Post ὀργᾶς exspectamus δὲ.

v. 16. Pro λοίσθιον Theocritus dixisset τὸ λοίσθιον s. τὰ λοίσθια, cf. IV, 3, V, 113, I, 15, X, 18; VII, 21 non cum Zieglero τυ, sed τὸ legendum est; cf. V, 126. Versus 68—69 idyllii XIII corruptissimi sunt.

v. 18. Pro κύσαι Theocritus usurpavit φιλεῖν. Theocriti porro non est locutio ἀνενείκατο φωνὰν, cf. autem Hermann. ad Orph. 824, Mosch. II, 134, 20, Apoll. Rhod. III, 462: ἀνενείκατο μῦθον; Jl. T, 314.

v. 19. Collocatio adiectivorum ἄγριε et στυγνέ quae ad unum spectant vocabulum, Theocritea non est, cf. autem Bion. I, 52; aliorum poetarum exempla collegit Schneiderus ad Call. h. IV, 310, p. 328—329.

v. 27. Offendit δὲ omissum post οἶδα; cf. etiam v. 33, vv. 41—42, p. 46.

v. 34. Insolenter φιλεῖν legitur absolute usurpatum.

v. 35. Locutio κἂν sqq. (= attamen certe, v. 41) Theocritea non est; cf. Meinek. ad h. l.

v. 45. Particula δὲ post καλὸς nullum habet sensum; ineptum porro est attributum καλὸς, cf. Hiller. ad h. l.

Carmina epica.

De carminibus epicis priusquam accuratius disseram, liceat mihi nonnulla praemittere de dialecto: Differunt dialecto diversa carminum genera. Atque bucolica mimicaque carmina vulgo appellantur δωρικώτερα. Quibus a carminibus proxime absunt cc. XVIII et XIII. Epicis autem in carminibus XVI et XVII adeo non cum Morsbachio (de dial. Theocr. Bonn. 1874, p. 2) puto, „doridi multas ionicas epicasque formas admixtas esse", ut contrariam in partem contendam, Theocritum de doricis formis admittendis inter angustissimos sese continuisse fines. Quod ut comprobem, breviter exponam, quibus doricis formis Theocritus usus sit.

1) De vocali α pro η posito vix potest aliquid certi statui. nam mirum quantum codices vel optimi vacillant. Tamen cogitari potest, Theocritum cum alias admiserit doricas formas, ne α quidem vocalem, quae max imepropria est doridi, respuisse. XVI, 58 omnes codd. praebent Μοισᾶν, cum alii in cc. XVI et XVII loci non sint, ubi ᾶν pro ῶν legi possit.

ᾱ pro ω in voc. πρῶτος rarissime legitur; cod. k. et ceteri codd. praebent ω XVII, 3, 11, 59, 75. Callimachus videtur α posuisse, V, 9, 105, VI, 19, 39; cf. Degnerum, de dorismi usu Callim. p. 19 et ed. Wilamowitzii.

2) Vocalis ω gen. II decl. sg. non invenitur nisi XVII, 132 in codd. 9. L. M. (οὐλύμπω). Itaque legendum est ου omnibus ceteris in locis.

ως̄ pro ους in acc. plur. II decl. invenitur XVI, 7 in cod. p. v. 101 in cod. 9, XVII, 123 in codd. a. p. D. Ceteris in locis omnes codd. praebent ους.

Doricas formas ῠς pro ους et ᾰς pro ᾱς nimirum vitavit Theocritus.

ω pro ου Theocritus non admisit in his vocabulis XVI, 71: οὐρανός, XVII, 22: οὐρανίδῃσι, XVI, 24: δοῦναι (de διδώς in severiore Doride usurpato cf. Ahrens. de dial. dor. 155), XVI, 70: κουράων, cf. v. 1, 83, XVII, 66: κοῦρε in cod. k. aliisque codd.; vulgo κῶρε (de siglo vulgo cf. Ahrens. in edit. praef. LXXVI), XVII, 107 plerique codd. πλοῦτος; πλῶτος in codd. 9 [2] L. et M. (superscr. ου), XVII, 121: μοῦνος, XVII, 15: βουλὰν, XVI, 70: βουλεύοντος, XVI, 55, 101: βουσί(ν); vides igitur Theocritum vitasse, quod Callimachus in hh. V et VI posuit, cf. Degner. p. 28—29.

3) Futurum sigmaticum non exit in σῶ (ζῶ, ψῶ), quod perspici potest ex eis locis, in quibus contracta forma propter metrum intolerabilis est, cf. XVI, 6: ὑποδέξεται, 16: οἴσεται, XVII, 10: ἄρξεται al., cf. etiam XXIV, 76: ἔσῃ, XXII, 25: ἄρξομ', 70: δηρίσομεθ', 134: ἔσεσθαι al.

4) Doricum μες pro μεν (de usu Callimacheo cf. Degner. p. 59: μες in h. VI, 6, 17, 124, 125) propter ἀρχώμεσθ' (XVII, 1) cogitari potest, Theocritum admisisse, XVI, 4 μες in cod. k aliisque codd.: XVII, 2 autem omnes codd. scholiaque habent μεν.

5) Doricum ντι in 3 p. pl. act. Theocritus item ac Callimachus (cf. Degner. p. 64) retinuit, quem tamen usum certis circumscripsit finibus, quod fugit Oppelium (quaest. de dial. theocr. Lips. 1874, p. 44—45).

Doricam formam Theocritus usurpavit ante consonantes; XVI, 3: ἐντὶ, ἀείδοντι, 11: μίμνοντι, 15: σπεύδοντι, cod. L. ουσι, 101: φιλέοντι, 28: ἐθέλωντι, cod. L. ουσι, XVII, 73: μέλοντι, 91: ἐπιπλώοντι, 108: ἔχοντι, 115: ἀείδοντι.

Formam ουσιν Theocritus usurpavit, ut hiatum intolerabilem post trochaeum quinti pedis vitaret. Atque recte ουσιν legitur XVI, 5 (ναίουσιν ὑπ' ἀῶ), 19 (τιμῶσιν ἀοιδοὺς), 23 (φρονέουσιν ὄνασις), 69 (τελέθουσιν ἀοιδοῖς, sic plerique codd., οντι in codd. 23 L. M.), 81 (σκιάουσιν ἔθειραι). Est igitur pro ουσιν restituendum οντι XVI, 78, XVII, 33.

In medio relinquo, utrum in caes. κατὰ τρίτ. τροχ., ubi hiatus nullam habet offensionem, Theocritus οντι an ουσιν posuerit: XVII, 38: φαντὶ ἁδεῖν (ἁδεῖν a $\sqrt{}$σϝαδ), XVI, 72: plerique codd. κινήσουσιν ἔτι, L. κινήσεῦντι, 23: κινησεῦντι, M. νικησεῦντι, XVII, 78 omnes codd. scholiaque: ἀλδήσκουσιν ὀφελλόμενοι. Ex bucolicis mimicisque carminibus nullum ad hanc questionem diiudican-

dam auxilium repeti potest; in c. XXIV, 75 (hoc carmen Theocriti esse infra ostendam) legitur: κατατρίψοντι ἀκρέσπερον.

Denique animadvertendum est, in cc. bucolicis mimicisque codices paene consentienter doricum ντι praebere, cum I, 35 reperiatur νεικείοισ' ἐπέεσσι, unde concludendum mihi quidem videtur, Theocritum elisionem ι vocalis in ντι vitasse, ita ut in c. XXII, 19 (hoc carmen Theocriti esse infra demonstrabo), si quidem dorica dialectus omnino vitata [1]) non est, pro ἀπολήγοντ' ponendum sit ἀπολήγοισ'. Pindarus quidem praebet Ol. VII, 10 κατέχοντ', cf. etiam Meinek. p. 347.

Haec fere volui praemittere de dorismi usu in cc. XVI et XVII, quibuscum plane consentiunt cc. XXII, XXIV, XXVI, ita ut dialecti ex rationibus haec carmina Theocrito abiudicanda non sint.

Singularis autem condicio est carmini XXV, in quo ut color dictioque plane homerica est, ita dialectus quoque ad Homeri normam redacta est, quod tamen per se nullam praebet causam, cur hoc carmen poetae adscribamus diverso a Theocrito, sub cuius nomine traditum est.

Carmen XXII.

Διόσκουροι.

Hunc hymnum Eichstaedtius (adumbr. quaest. de carm. Theocr. indole p. 45) contendit, pluribus carminum particulis ab Alexandrino rhapsodo inepte esse consutum. Similiter iudicavit Reinholdus (de genuinis Theocriti carminibus, p. 63): Hermannus (ephem. stud. antiq. 1840, no. 119, 970) hoc carmen nominavit poetae deterioris Theocrito similiorisque Callimacho; Ahrensius huic carmini asteriscum praefixit. Contra statuerunt Dahlius in edit. Theocr. 303 et Wissowa (Theocritus Theocriteus p. 34 al.). Verum enim vero simplicissima sane illa et dilucidissima quae in hoc carmine versatur ratio narrandi quantum discrepet a Callimachi oratione pressa et quae quocunque in versu Alexandrinum nobis monstrat poetam doctrinam artemque captantem quis est quin hodie quidem videat? Quis porro non videt, quam apte versus 25—6 nos „a communibus Tyndaridarum laudibus ad singulorum praestantiam et virtutem cele-

[1]) Ahrensius in Phil. XXXIII, p. 405 inscriptione κοινῇ Ἰάδι fretus voluit doricas formas delere; item Zettelius, Blätter f. d. bair. Gymn.-Schulwesen XI, 206 ff. Ego contra cogito.

brandam traducent?" cf. Wissow. l. l. Quod similiter valet de versibus 135—136. Versus denique 212—213 (οὕτω sqq.) concludunt narrationem ut in idd. XI, 80 et XIII, 72.

Sed iam apage nugas. Praeclarissimus ille inter Pollucem et Amycum dialogus contra hymnorum componendorum usum carmini insertus satis superque nullum alium indicat auctorem nisi Theocritum ipsum celeberrimum pastoriciarum confabulationum poetam. Quin etiam Theocrito hoc carmen adscriberem, etiamsi sub nomine eius traditum non esset. Porro valde sane miror, quod fugit viros illos sagacissimos, saltem vv. 27—115 Theocrito esse assignandos, nam quis est quin videat, hos versus esse continuationem argumenti id. XIII? Eadem denique est singularum partium huius carminis ratio dicendi, ita ut non sit, cur hoc carmen Theocrito abiudicemus.

Complura continet hoc carmen, quae similiter legantur in aliis Theocriti carminibus: ad v. 4: ὑμνέομεν καὶ δὶς καὶ τὸ τρίτον ἄρσενα τέκνα cf. XVII, 3—4: ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω καὶ πύματος καὶ μέσσος;

v. 9 vocabulum ἀήτης legitur non addito ἀνέμοιο, cf. II, 38 aliosque scriptores serioris aetatis; ad v. 25 Κάστορος ἢ πρώτου Πολυδεύκεος ἄρξομ' ἀείδειν cf. XVII, 11: τί πρῶτον καταλέξω; v. 30 μιῆς πολλοὶ, XIII, 38 μίαν ἄμφω; vv. 32—33 similiter leguntur XIII, 32—33: ἐκβάντες; XXII, 31: ἐξ — ἔβαινον δ' ἐπὶ θῖνα sqq. v. 34: ad articulum alteri tantum duorum nominum propriorum appositum cf. VI, 1: Δαμοίτας χὼ Δάφνις; ad descriptionem loci illius, ubi Amycus commorans fingitur, cf. VII, 6 sqq. 135 al.

v. 37. Pro usitatiore λισσὴ feminino (cf. Od. 3, 293, 5, 412 al.) legitur forma λισσὰς (cf. Ap. rh. II, 732 πέτραι λισσάδες). Eodem modo pro λεπρὰ (cf. Opp. Hal. 3, 340 λεπραὶ πέτραι) legitur id. I, 40 πέτρα λεπρὰς, quod „utriusque carminis eundem esse auctorem praeter alia probabile facit", cf. Fritzsch. ad v. 37.

v. 43. Ad εἴαρος λήγοντος aptissime Hillerus comparavit XIII, 26: τετραμμένου εἴαρος sqq.

v. 44. Rarissimum voc. ἐνδιαάσκειν in clausula versus reperitur XVI, 38 (Fritzsch.).

v. 48. Cum ἀκρὸν ὑπ' ὦμον cf. VII, 76: μακρὸν ὑφ' Αἶμον.

vv. 47—48 cf. cum I, 43: ὧδε οἱ ᾠδήκαντι κατ' αὐχένος πάντοθεν ἶνες.

v. 59 ad τῆς σῆς sc. γῆς Fritzschius comparavit V, 61: τὴν σαυτοῦ.

v. 61. „Phrasis ἐν ἑτοίμῳ (cf. v. 212 οὐκ ἐν ἐλαφρῷ) non est sermonis epici.“ Sic recte Fritzschius statuit. Comparavit Hillerus XV, 73: ἐν καλῷ εἶμες.

v. 66 ad ὄμματα δ' ὀρθὸς cf. V, 36: ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι (Fritzsch.).

v. 76. ὑπὸ σκιερὰς πλατανίστους; cf. XVIII, 46: ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιστον (Fritzsch.).

v. 77. κομόωντες claudit versum etiam XVI, 48; ἀεὶ autem cum κομόωντες coniungendum esse ut XVII, 107: ἀεὶ κέχυται μογεόντων, Fritzschius animadvertit.

v. 86. ἅπαν altero α longo legitur eadem sede II, 56, cf. Meinekium et Fritzschium ad h. l.

v. 99. Voc. ἀριστῆες eadem sede legitur XIII, 17 (Fritzsch.).

v. 104. Ad ἤλασε πυγμῇ cf. XIV, 35: πύξ ... ἤλασα; utroque loco supplendum est πληγήν.

v. 113. Voc. ὀλίγος eadem sede eademque notione reperitur I, 47 (Fritzsch.).

v. 116. „Nomen ὑποφήτης Theocrito videtur in deliciis fuisse“ (Fritzsch.). Genitivus ἑτέρων autem (sic vulg.) nullum praebet sensum: dicendum enim erat „tuus interpres“, cf. Plat. Jon. p. 534, E: οἱ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσι τῶν θεῶν; cf. id. XVI, 29: Μουσάων ὑποφήτας. XVII, 115: Μουσάων — ὑποφῆται. Conicio igitur σφέτερος δ'; cf. ad σφέτερος = tuus v. 67; ad collocationem particulae δὲ cf. VI, 39: ὡς μὴ βασκανθῶ δέ. Hemsterhusius scribi voluit δ' ἑτέροις, quae scriptura comparari potest ad Call. h. III, 186: εἰπὲ θεή, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείδω, cui versui permulta verba sunt communia cum versu illo Theocriteo. Tum autem videtur genitivus omissus offensionem habere, cf. Meinek. p. 492. Utique reiciendae sunt coniecturae Meinekii δέ σευ ὢν et Hilleri δ' ἑὸς ὢν, nam formam ὢν Theocritus plane vitavit. Jacobsius coniecit δὲ θεῶν, qui tamen genitivus sententiam praebet nimis universam. Similiter dicendum est de Lachmanni (ad Propert. II, 1, p. 91) coniectura δ' ἐπέων ὑποφήτης.

v. 126. ἄλλος pro ἕτερος legitur etiam VI, 46, VII, 36, cf. Schneider. ad Call. h. I, 73.

v. 145. Initium δαιμόνιοι, τί sqq. Fritzschius comparavit cum XVI, 22: δαιμόνιοι, τί δὲ κέρδος sqq.

v. 164. ἄνωθεν eadem notione legitur atque ἐπάνωθεν, VII, 5 (Fritzschius).

v. 167—8. Verba τὰ δὲ . . . ἀνέμοιο similiter sunt XXIX, 35: αἰ δὲ ταῦτα φέρην ἀνέμοισιν ἐπιτρόπης· (Fritsch.) Ad ᾤχετο . . . ἔχουσα, cf. II, 7, IV, 10: ᾤχετ' ἔχων. Pro singulari ὑγρὸν κῦμα pluralis est VII, 53.

v. 187. Ad πόνον εἶχον Fritzschius comparavit VII, 139: ἔχον πόνον. Agitur autem utroque in loco de certamine.

v. 209. Ad σφέτερος = suus cf. id. XII, 4 et Schneider. ad Call. h. III, 229.

v. 211. De raro usu particulae δὲ in arsi tertii pedis (cf. XVI, 65) cf. Giesek. quaest. hom. 95.

v. 212—213. Verba οὕτω sqq. concludunt narrationem ut id. XI, 80, XIII, 72. (Fritzschius.)

v. 218. „Χῖος ἀοιδὸς Homerus nominatur etiam VII, 47.“ (Fritzschius); XVI, 67 vocatur Ἰάων ἀνήρ.

v. 223. Verba γεράων δὲ θεοῖς κάλλιστον ἀοιδαὶ similiter sunt XVII, 8: ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν.

Vides, quam multa dictio huius carminis contineat, quae adeo non imitatorem Theocriti, ut Theocritum ipsum auctorem prodant, cf. imprimis adnott. ad vv. 4, 37, 47—8, 86, 104, 116, 164, 167—8, 223.

Carmina XXIV et XXV.

Alexandrina quae vocatur aetas multis rebus novis abundat: genuit Alessandram Lycophronis technopaigniaque Simmiae Rhodii; tulit Theocritum illud ingenium singulare, qui adeo non quasi vellet renovare amplum epos temporum priorum aut dramata optimorum poetarum, ut contra singulis poeseos generibus non distinctis in idylliis suis pastores colloquentes inter se faceret non trimetro iambico sed versu heroico; quin etiam cantantes inducit pastores non lyricis illis usitatis metris sed item versu heroico. Theocritus non is erat, qui vellet opera scribere magni ambitus; Theocritus proprie est auctor εἰδυλλίου (hoc nomen primum invenitur in Meleagri titulo εἰς τὸ ἔαρ εἰδύλλιον, cf. Epigr. CX), quod nomen ut quadrat ad carmina bucolica mimicaque, ita suo sane iure imponendum est ex c. carmini epico XIII, quo fabulam de Hylae raptu tractavit. Habitavit Alexandriae in urbe Theocritus per complures annos; ibi ex auctore rusticarum rerum subito evasit aulicus poeta; scripsit Theocritus secutus exemplum aequalis et amici Callimachi hymnum in Ptolemaeos reges Aegypti, qui item atque Alexander M.

ἀριθμεῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα, cuius ἕδρα in Olympo est collocata iuxta sedes Alexandri et Ptolemaei I (cf. id. XVII, 27).

Atque hunc proavum Ptolemaeorum Theocritus facit χαίροντα υἱωνῶν περιώσιον υἱωνοῖσι (v. 23), qui νέποδες γεγαῶτες vocantur ἀθάνατοι (v. 25). Nonne vides, qui factum sit [1]), ut Theocritus ex fabula Herculis sumeret partem tractandam? Scripsit idyllium XIII, quod Theocrito adscriberem, etiamsi sub nomine eius traditum non esset. Nam nonne unusquisque versus manifesto prodit poetam rusticarum rerum? Theocritus nihil secutus est Pisandrum, Panyasidem ceterosque illos permultos poetas (cf. Kinkel, epicorum graec. frgmm. Lips. 1877, p. 212—215, 248—65), qui Ἡρακλείας scripserunt, ut omnes Herculis labores factaque celebrarent. Potius ex ampla illa fabula Herculis non potuit nisi ea eligere, quae essent convenientia naturae indolique suae. Sub Theocriti nomine traditum est c. XXIV, quod fuerunt qui ei abiudicarent. Quod falso fecerunt. Nam hoc quoque carmen quis est quin videat, dignum esse titulo εἰδυλλίου ut quod maxime? Quod imprimis dicendum est de priore huius idyllii parte (vv. 1—70). Nostris paene oculis videmus Alcmenam liberos suos infantes λούουσαν καὶ ἐμπιμπλᾶσαν γάλακτος καὶ καταπιθεῖσαν ἐς χαλκείαν ἀσπίδα (vv. 3—4). Tum videmus infantes duos dormientes in cunis; mater autem plena amoris, ut decet veram matrem, optat, ut illi εὕδωσι γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον. Duo serpentes immani magnitudine subito ἐξειλοῦνται ἐκ σταθμῶν κοίλων θυρῶν et imminent vitae puerulorum. Atque Iphicles quidem οὖλαν . . ποσὶν διελάκτισε χλαῖναν φευγέμεν ὁρμαίνων. ὁ δ' ἐναντίος ἵετο χερσὶν Ἡρακλέης, ἄμφω δὲ βαρεῖ ἐνεδήσατο δεσμῷ, δραξάμενος φάρυγος. Alcmena autem ἐσάκουσε βοᾶς καὶ ἐπέγρετο πράτα. Plena metus clamat, ut coniux surgat. Atque coniux rursus servos excitat ex somno, ut quam celerrime lucernam apportent. Ianua conclavis puerorum refringitur: intra sedet puerulus Hercules ἐπιτίτθιος θῆρε δύω χείρεσσιν ἀπρὶξ ἁπαλαῖσιν ἔχων συμπλέγδην . . ὁ δ' ἐς πατέρ' Ἀμφιτρύωνα ἑρπετὰ δεικανάασκεν, ἐπάλλετο δ' ὑψόθι χαίρων κωροσύνῃ. Profecto omnes hae res spirant spiritum illum, qui versatur in conclavi puerili atque id ipsum apertissime

---

[1]) Brunnius (die griech. Bucoliker und die bildenden Künste; Münchener Sitzungsberichte, 1879, II, 12—14) arbitratus est, Theocritum imagine quadam ad priorem saltem huius carminis partem componendam esse excitatum. Cf. etiam Ribbeckium, preuss. Jahrb. 1873, p. 84—5. De Hercule infante serpentium victore cf. Pind. Nem. I, 35 sqq.

indicat nullum alium auctorem nisi Theocritum, poetam idylliorum; est prior pars carminis XXIV re vera idyllium verum.

Altera huius carminis pars continet cum alia tum institutionem Herculis. Voluit Theocritus narrare ὅσσα μαθὼν ἀγαθὸς καὶ ἀοίδιμος αὐτὸς ἔγεντο (cf. id. XIII, 9).

Est sane hoc idyllium [1]) dignum Theocrito; quin etiam nemo potuit scribere hoc carmen nisi Theocritus ipse [2]).

Huc accedit quod inveniuntur, quae manifesto indicent Theocritum auctorem huius idyllii.

v. 1. Locutio ἁ Μιδεᾶτις Ἀλκμήνη nusquam litterarum graecarum invenitur nisi etiam id. XIII, 20: Ἀλκμήνης υἱὸς Μιδεάτιδος ἡρωίνης. (Fritzsch.)

vv. 7—8. Ad imperativum εὕδετ' in initio duorum versuum continuorum repetitum Fritzschius aptissime comparavit id. VII, 118—119: βάλλετε — βάλλετε, cf. etiam Hillerum ad h. l. Verba δύ' ἀδελφεώ, εὖσοα τέκνα (v. 8) similiter leguntur XXII, 4—5: ἄρσενα τέκνα (claudit voc. τέκνα versum 4) . . δύ' ἀδελφούς. Forma ἀδελφεώ est etiam XXII, 139.

v. 9. Voc. ὄλβιοι iuxta optativum verbi legitur in introitu versus etiam XII, 28: ὄλβιοι οἰκείοιτε. (Fritzsch.)

v. 11. Voc. μεσονύκτιον eadem sede legitur XIII, 69.

v. 19. Falso Fritzschius statuit: „insolens ἐξέπτυον penultima correpta; πτύοντα eandem vocalem producit Theocr. XV, 133.“ Nam id. VI, 39 legitur ἔπτυσα brevi vocali υ.

v. 25. Voc. χλαῖνα significatu straguli usurpatum est etiam id. XVIII, 19.

v. 31. Ad ὑπὸ τροφῷ Fritzschius comparavit XXII, 159: τοκέεσσιν ὑπὸ σφετέροισι τρέφονται.

v. 38. Locutio νυκτὸς ἀωρὶ non invenitur nisi etiam XI, 40 (cf. II, 119 αὐτίκα νυκτὸς); apud Arist. Eccl. 741 invenitur ἀωρὶ νυκτῶν.

v. 40. Verba φίλ' ἀνδρῶν reperiuntur id. XV, 74. (Fritzsch.)

v. 50 b. Verba demum ἦ ῥα γυνὰ legentes comperimus, quisnam locutus sit; cf. XXII, 75: ἦ ῥ' Ἄμυκος, cf. Hiller. ad h. l.

---

[1]) Hoc id. iusta conclusione non carere, intellegitur ex v. 132: ὧδε; cf. XIII, 72; XI, 80; XXII, 212.

[2]) De diversorum virorum sententiis de hoc carmine pronuntiatis cf. Fritzsch. praef. Hoc loco animadvertere volo, rationem dialecti, dictionis, rei metricae plane consentire cum usu Theocriteo.

v. 59. Ad pron. σφέτερος = suus cf. id. XII, 4. Verba ποτὶ — βάλε — κόλπον similiter sunt Call. h. IV, 265. (H. Vossius.)

v. 61. ἄλλος pro ἕτερος legitur etiam VI, 46: οὐδάλλος al.

v. 64. Verba ἀλαθέα πάντα eadem in sede sunt V, 76; cf. etiam II, 94.

v. 71. Cum θάρσει Fritzschius contulit IV, 41: θαρσεῖν χρὴ in initio versus positum.

v. 72. Ad infinitivum θέσθαι cf. V, 121: αὐτίκα τίλλειν.

v. 73. Tiresiam facit Theocritus iurantem per oculos sicut etiam Polyphemum VI, 22, et XI, 53, cf. Wissowam l. l. 38.

v. 82. Forma κεκλήσεται reperitur XXII, 69. De Hercule autem, qui vocatur γαμβρὸς ἀθανάτων cf. XVII, 32.

v. 86. Verba ὑπὸ σποδῷ eadem sede legi id. XI, 51, iam Fritzschius animadvertit. Rarissimum voc. εὔτυκος eadem sede est Call. h. V, 3.

vv. 87 sqq. Cum lustratione cf. id. II, Wissowa l. l. p. 38. Fritzsch. in praef.: praecepta illa magica produnt auctorem eundem, qui scripsit pharmaceutria.

v. 96. Theocritus primus poetarum epicorum praebet voc. ἀβλαβής, cf. XII, 25.

v. 99. Verbum ἐρωεῖν notione transitiva removendi s. relinquendi eadem sede est XXII, 174 (Fritzsch.).

v. 106. Verba ἐκ πατέρων eadem sede sunt XVI, 33 (Fritzsch.).

v. 136. Voc. φυτοσκάφος eadem sede legitur Apoll. Rh. Arg. I, 1172: ante huius poetae tempora non invenitur;

v. 135—136. Verba μέγας ἄρτος legens quis est quin recordetur, libenter Theocritum ἀνδρῶν ἀδηφάγων mentionem facere? cf. IV, 34, XXII, 115. Proprie autem Herculis appetentiam cibi commemorat Theocritus XVII, 28; cf. etiam de Herculis edacitate Arist. Ran. 63, 519 sqq. Eurip. Alc. 548, 749 sqq. Ad κρέα cf. VII, 108. Kock. ad Arist. nub. 339.

Denique liceat mihi commemorare, in v. 144 pro Ἁρπαλύκῳ (sic. codd.) ex Heynii coniectura (cf. Apollod. bibl. 2, 4, 9) scribendum esse Αὐτολύκῳ. Antolycus enim Mercuri filius vocatur ut a Theocrito sic etiam a Pausan. VIII, 4. Similiter autem Odyss. 19, 395—97 Mercurius intellegendus est patronus Antolyci cuiusdam, qui habitabat ad Parnassum, prope ad Parnassum autem scimus ex Polyb. 5, 96, 4 (ed. Bekk.) sitam fuisse τὴν τῶν Φανωτέων πόλιν.

Procedo nunc ad

carmen XXV,

cuius argumentum ipsum quoque sumptum est ex fabula Herculis.

Primum quod attinet ad compositionem huius idyllii, non habeo quae addam ad ea quae pronuntiarunt Hermannus (cf. opusc. VIII, 314 sqq.), Fritzschius, Hillerus in praef. Deest enim initium iustum, desunt verba, quibus narratum sit quomodo Hercules perveniret ad Augiam et Phyleum, quomodo sese salutarent, quomodo rex invitaret hospitem ut secum greges contemplaretur. Deest denique [1]) iustus exitus; neque enim, ut haud pauci viri dd. putarunt, verba οὗτός τοι Νεμέου sqq. (v. 280) potuerunt totum idyllium claudere neque hic versus potest conferri cum XI, 80, XIII, 72, XXII, 212, XXIV, 132. Propium enim est huius carminis [2]), non a poeta ipso certamen Herculis cum leone Nemeaeo narrari (hoc certamen solum si poeta voluisset narrare uno carmine, verba οὗτός τοι Νεμέου sqq. iustam efficerent clausulam); potius auctor Herculem inducit certamen narrantem. Sequitur, iustam clausulam periisse. Hac autem dicendum erat a poeta, Phyleum gratias egisse Herculi, quod optato suo paruisset, vel simil.

Permulti ante Theocriti tempora fuerunt, qui Ἡράκλειαν scriberent. Qui dubitari non potest quin ita rem instituerint, ut ipsi singulis libris singula Herculis facta narrarent. Plane aliud consilium auctor carminis XXV secutus est. Tantum enim abest, ut aliorum poetarum exemplum secutus voluerit describere, quomodo Hercules stabula Augiae purgaret, ut Herculem introduxerit armenta Augiae inspiciantem tantum quasi atque admirantem; occasione autem data Herculem ipsum facit narrantem, quomodo leonem Nemeaeum interfecerit; est igitur haec narratio quasi instar episodi, quamobrem aptius toti carmini titulus Αὐγῆς imponi potest. Singularis igitur atque unica est condicio huius carminis; atque ob hanc causam solam vix alius potest excogitari auctor nisi Theocritus, amator ille bucolicarum

---

[1]) Frustra Couatus l. l. p. 403—404 integritatem huius carminis studuit demonstrare.

[2]) Id dubitari non potest, quin singulae partes huius carminis eiusdem sint poetae; facile porro persuadebis tibi, singulas partes ab interpolatore inventas nequaquam esse conflatas in unum carmen. Potius uno carmine poeta voluit eas comprehendere.

imprimis rerum, qui ne in c. XVI (cf. vv. 90 sqq.) quidem hoc suum studium atque delicias abicere animum potuit inducere.

Tota prior pars carminis occupata est in vita rustica: Vita moresque pastorum describuntur; omnia ex natura ipsa vere sunt expressa; nostris paene oculis videmus armenta pulverem moventia et magno mugitu ad stabula redeuntia; videmus boves introduci a pastoribus in stabula, ut mulgeantur. Re vera unusquisque versus manifesto indicat poetam, qui non solum non vitae rusticae fuerit inscius, sed etiam delectatus sit moribus pastorum.

Priorem partem huius carminis Theocriti esse, elucet ex argumento. Ad descriptionem autem certaminis Herculis cum leone Nemeaeo cf. cum id. XIII, 6: ὃς τὸν λῖν ὑπέμεινε τὸν ἄγριον tum epigr. XX, quod Theocritus nulla alia de causa scripsit in Pisandrum quam quod descriptionem illam expressit ad exemplum Pisandri. Quid enim quod Theocritus cum in universum in v. 5 (ὅσους ἐξεπόνασε εἶπ' ἀέθλους) commemorat labores Herculis tum praecipue in v. 2 τοῦ λεοντομάχου facit mentionem?

Haud porro videor mihi errare si suspicor, Theocritum ad c. XXV scribendum excitatum esse exemplo Callimachi; legitur enim in schol. ad h. II, 106: ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην. Coactus igitur Callimachus scripsit epyllion Ἑκάλην; Theocritus, quippe qui esset amicus illius, ipse quoque descendit (sine dubio senex fuit Theocritus, cum c. XXV scribebat) ad epyllion componendum.

Multa nimirum Hecale Callimachi continuit quae diversa essent a carmine Theocriteo. Comparaverim autem Herculis apud Augiam commorationem cum priore parte Callimacheae Hecalae, qua narratum est, quomodo Theseus usus sit hospitio Hecalae, descriptionem autem certaminis Herculis cum leone Nemeaeo opposuerim Thesei certamini cum tauro Marathanio. Fecit enim Crinagoras epigramma in Callimachi Hecalen (cf. Anth. Pal. IX, 545), ex quo videmus, etiam Hecalen Callimachi in universum duas continuisse partes; sic enim legitur vv. 3—4:

ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιὴν
καὶ Θησεῖ Μαραθὼν οὓς ἐπέθηκε πόνους.

Quid porro quod etiam Theocritus in vv. 138 sqq. Heraclem facit certantem cum uno ex tauris Augiae? Cf. Callim. frgm.

249: θηρὸς ἐρωήσας [1]) ὀλοὸν κέρας et frgm. anon. 389: πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα (cf. Schneider. Call. II, 189—190, 487, 789, Couat l. l. p. 385—6; Catull. c. LXIV, 110 sqq.) cum id. XXV, 145 sqq. Similis descriptio legitur in Apoll. Rhod. Arg. III, 1306 sqq.:

καὶ ῥ' ὅγε (sc. Ἰάσων) δεξιτεροῖο βοὸς κέρας ἄκρον ἐρύσσας
εἷλκεν ἐπικρατέως παντὶ σθένει, ὄφρα πελάσσῃ
ζεύγλῃ χαλκείῃ, τὸν δ' ἐν χθονὶ κάββαλεν ὀκλάξ sqq.

Utique autem Callimachi frgm. 142 τὸ δὲ σκύλος (hanc formam verissime Schneiderus Call. II, p. 408—9 posuit; reperitur enim id. XXV, 142. Leon. Tar. A. Pal. VI, 53, 2, Nicand. Alex. 270) ἀνδρὶ καλύπτρη γιγνόμενον, νιφετοῦ καὶ βελέων ἔρυμα comparandum est cum id. XXV, 278—9: καὶ ἀμφεθέμην μελέεσσιν ἕρκος ἐνυαλίου ταμεσίχροος ἰωχμοῖο (uter poeta alterutrum imitatus sit, dubium est). Dubium autem est, num quid possit concludi ex forma νωσάμενος (id. XXV, v. 263), quae legitur etiam in Callim. frgm. 345. Nam vix certo diiudicari poterit, num revera, ut sibi persuaserunt Heckerus et Schneiderus Call. II, 551, frgm. illud pertineat ad Hecalem; sic enim Schneiderus statuit: „et aptus in eo carmine locus fragmento fuit, ubi Theseum poeta dicebat taurum Marathonium tandem conspexisse“, cf. etiam Schneider. l. l. p. 189.

Quando fere carmen XXV scriptum sit, colligi potest etiam e forma Ἀπὶς, quod voc. indicat Peloponnesum, v. 183. Eadem forma legitur apud Apoll. Rhod. in Arg. IV, 1564; eandem ex Eratosthene (cf. Hiller. Eratosth. carm. rel. p. 13 sqq.) servavit Stephanus Byz. s. v. Ἀπία (Meinek. p. 380). Antiquior forma Ἀπία legitur Aesch. Agam. 243. Suppl. 250, 743 (ed. Kirchh.), Soph. Oid. Col. 1303 (ed. Dindorf.). Ad homericum ἐξ ἀπίης γαίης (Jl. I, 270, III, 49 al.) cf. lex. hom. ed. Seiler. 1878 s. v. ἄπιος adn. 2. Formam denique Ἀπίαν usurpavit quoque Rhianus, cf. Meinek. anal. alex. p. 182.

Animadvertendum porro est, in v. 15 carminis XXV legi verba ἂμ μέγα τῖφος, quae reperiuntur in Apoll. Rhod. Arg. I, 127 (supra dixi, Theocritum nonnullos Apollonianos locos

---

[1]) Etiam Callimachi inveniuntur frgmm. quae sine dubio referenda sunt ad fabulam Herculis, cf. Lincke l. l. p. 25. Dubium autem est, utrum frgmm. illa pertineant ad peculiarem hymnum, quem Hemsterhusius existimavit a Callimacho scriptum esse ad Herculem celebrandum, an ad Aetia, ut sibi persuasit Schneiderus.

imitatum esse); idem voc. est etiam Arg. II, 822; invenitur autem voc. τῖφος nusquam praeterea nisi in Lycophr. Aless. v. 267 (ed. Kinkel.): ἔγχωρα τίφη; verba πλατάνιστοι — πεφύασι v. 20 (haec locutio homerica non est cf. Jl. II, 307, 310) eadem seda sunt Argon. II, 733; voc. φυτοσκάφος v. 27 (cf. c. XXIV, 138) ante Theocriti et Apollonii Rhodii (Arg. I, 1172) tempora non invenitur; verba ἔπος προτιμυθήσαιτο (v. 66) in versus exitu leguntur etiam in Argon. III, 934 atque utroque in loco προτιμυθήσασθαι regit dativum, cum Od. XI, 143 accusativus pendeat; omnino autem hoc verbum alibi litterarum graecarum non videtur inveniri; forma οὕνεκεν (v. 76) primum apud Apoll. Rh. in Arg. III, 933 legitur atque eadem sede qua XXV, 76; verba τοίῳ προσελέξατο μύθῳ (v. 192) eadem sede sunt Arg. IV, 833, quamobrem nihil necesse est, cum Hermanno (opusc. VIII, 327) scribamus προρπτύξατο.

Denique ad tempus, quo ortum sit id. XXV, definiendum nescio an quid auxilii possit repeti ex singulari forma ὑπεροπλίη (v. 139), quae eadem sede legitur in Rhiani frgm. quodam: ἀλλ' ὑπεροπλίη (cf. Meinck. anal. alex. p. 199). Homerus usurpavit pluralem; re vera autem Rhianum esse imitatorem Theocriti intelligitur ex Rhiani epigr. in Anth. Pal. XII, 93, 1 (cf. Meinek. anal. alex. p. 207), ubi voc. ἀνέξοδος (ante Theocriti aetatem non invenitur) eadem sede est qua legitur in id. XII, 19.

Nihil autem concludendum mihi videtur ex eo, quod verba λειμῶνες θαλέθουσι (v. 16) similiter leguntur in Leonidae Tarentini epigr. (Anth. Pal. X, 1, 3): λειμῶνες δ' ἀνθεῦσι (cf. Kehr. de poetarum, qui sunt in Anth. Pal., studiis Theocriteis, Lps. 1880, p. 34—35). Nam idem Leonidas praebet etiam λειμώνιον ἄνθος (Anth. Pal. VII, 657, 7), cf. Eurip. Iph. Ant. 1297: λειμὼν τ' ἄνθεσι θάλλων χλοεροῖς.

Alius sit qui putet, id. XXV Theocrito adscribendum esse propter voc. αὐτόφλοιος v. 208 (hoc voc. ante Theocriti aetatem non invenitur), quod legitur etiam eadem sede in epigr. IV, 3. At enim hoc epigramma Theocriti non est.

Transeo nunc ad alia, quae reperiuntur in Theocriti ipsius carminibus.

v. 8. Verba εἰς ἕνα χῶρον eadem sede reperiuntur VI, 1.

v. 11. Adverbium ὧδε (cf. etiam vv. 14, 35, 54) significatione loci usurpatum sine dubio Theocritum prodit auctorem (sic Fritzschius secutus Hermannum in Orph. p. 692); cf. id.

I, 106, IV, 51, V, 100, III, 53, I, 120, 121, 151, III, 38, XV, 33, 78; de ὧδε cf. Lehrsium, stud. Arist. p. 84 sqq. Nitzsch. ad Od. I, 182; cf. porro Aesch. Suppl. 725, Sophocl. O. R. 7, O. Col. 178, 1208, Trach. 496, Plat. Prot. 328 d: προὔτρεψάς με ὧδε ἀφικέσθαι.

v. 19. Ad verba φαίνεται εὖ μάλα πᾶσι πέρην ποταμοῖο ῥέοντος cf. XXIV, 92: ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα et I, 68: οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον sqq.

v. 21. Voc. ἀγριέλαιος legitur etiam id. VII, 18 (ante Theocriti tempora non invenitur); vocatur autem ἀγριέλαιος etiam κότινος, cf. id. V, 32, 100 et XXV, 208. Videtur autem Theocritus solus ex poetis epicis hoc voc. κότινος usurpasse.

v. 22. Ad voc. ἱερὸν notione substantivi usurpatum Fritzschius comparavit id. XXVIII, 4: ἶρον χλωρὸν.

v. 25. Ad voc. σπόρος ignotum antiquioribus poetis epicis (cf. autem id. X, 14, XVI, 94) cf. adnot. ad X, 14.

v. 34. σύ περ = tu tuam vicem; cf. V, 52: τύ περ (Fritzsch.).

v. 48. Ad comparativum γεραίτερος (sic cod. D. edd. Junt. Call.) comparavit Fritzschius XV, 139, ubi eadem forma eadem sede legitur; praebent autem in id. XV, 139 γεραίτερος codd. k. a. p. 9. D. L. M.[5]; γεραίτατος s. sec. 6. 16. Y.

v. 63. Nihil habet offensionis quod voc. κορύνη longa vocali υ legitur, cum brevis υ inveniatur VII, 19, 43.

v. 67. Ad notionem χαλεπὸν c. inf. Fritzschius comparavit X, 11: χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι.

v. 104. Ad ὑπὸ μητράσιν ἵει cf. IV, 4. ὑφίητι τὰ μοσχία (Fritzsch.).

v. 134. „Voc. λάσιος adamasse videtur Theocritus, cf. XXVI, 3, XXII, 42, VII, 15, XII, 4, XI, 50, XXV, 257.“ Sic Fritzschius ad h. l.

v. 135. Voc. δρυμοῖο ante caesuram legitur ut I, 72, cf. Fritzsch. ad h. l.

v. 138. Rarissimum voc. προφερέσκειν eadem sede legitur XXII, 183.

v. 145. Verba τοῦ μὲν ἄναξ similiter sunt XXII, 102: τὸν μὲν ἄναξ, cf. Fritzsch. ad h. l.

vv. 148—9. Verba ὁ δὲ οἱ περὶ νεῦρα τανυσθεὶς μύων ἐξ ὑπάτοιο βραχίονος ὀρθὸς ἀνέστη, cf. cum XXII, 48: ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βράχιοσιν ἄκρον ὑπ᾽ ὦμον ἕστασαν. Nonne hi duo loci eundem produnt auctorem? cf. etiam I, 43.

v. 180. Ad οὐξ Ἑλίκηθεν cf. XXII, 11: ἐκ πρώρηθεν.

v. 229. Ad ἆσσον ἰόντος cf. I, 112: ἆσσον ἰοῖσα (Fritzsch. ad h. l.).

v. 246. Ad verba ὑπὸ λαγόνας τε καὶ ἰξὺν cf. XXII, 109: ἐς στῆθος τε καὶ ἰξύν; vocabuli forma λαγόνος eadem sede est XXII, 121.

v. 257. Verba δέρμα λέοντος eadem sede sunt XXII, 52.

Vides, nullam sane esse causam, cur hoc idyllium Theocrito abiudicemus; est quidem diversa a ceteris carminibus dialectus, dictio, res metrica. At quid potuit impedire, ne Theocritus, auctor multarum rerum novarum, carmen scriberet magis omnibus in rebus expressum ad Homeri exemplum ceteris carminibus. An mavis nimis angustam curtamque imaginem Theocriti ingenii artisque tibi fingere? Mihi plane est persuasum, hoc carmen esse Theocriti.

Carmen XXVI.

Nomen Theocriti carmini XXVI adscriptum est in editt. Junt. et Call., cum desit in codd. duobus ambros. c et Paris. D. Animadvertendum autem est, hoc carmen in cod. Paris. D inveniri inter genuina illa duo cc. XXII et XXVIII.

Praeterea Eustath. ad Jl. 7, 463 p. 691, 52: παρὰ Θεοκρίτῳ μαλοπάρῃος ὁ ἁπαλοπάρῃος vocab. μαλοπάρῃος videtur sumpsisse ex hoc carmine. Cf. ceterum Ahrens. in Phil. XXXIII p. 405 et 416.

Wilamowitzius (cf. Knaack. anall. alexandr. rom. diss. Gryphisw. 1880, p. 58) ex aperta Callimachei hymni IV, 98 [1]) imitatione collegit, hoc poema non esse Theocriti, sed imitatoris. Unde sequeretur, Wilamowitzii sententia Theocritum Callimachum

---

[1]) Hymnum in Delum primum statuendum est scriptum esse ante Ptolemaei Philadelphi cladem apud Con insulam acceptam; cf. Koepp. in mus. rhen. XXXIX, 209, 1 et vv. 160—165 sqq. huius hymni. Porro sine dubio necesse est statuamus, scriptum esse hunc hymnum brevi post eventa illa, quae narrantur vv. 171—88; mentionem enim facit Callimachus vv. 185—186 Gallorum illorum, quos Ἀντίγονός τις (intellegendus est Antig. Gonatas, cf. Buecheler. in mus. rhen. XXXIX, 1884, Heft 2, p. 277) φίλος τοῦ Πτολεμαίου Φιλαδέλφου προξενεῖ αὐτῷ ὥστε ἐπὶ μισθῷ στρατεύεσθαι (cf. schol. ad h. IV, 175). Gallos autem cum seditionem fecissent, Ptolemaeus ἀπάγει πρὸς τὸ στόμιον τοῦ Νείλου τὸ λεγόμενον Σεβεννυτικόν. Seditio autem illa fuit temporibus belli cyrenaici et syriaci, i. e. anno fere 273/2 (cf. Koepp. l. l. p. 212). Itaque h. IV scriptus est anno fere 272 atque brevi post bella illa

imitatum non esse (cf. Hempelium l. l. p. 44). Quam sententiam si re vera Wilamowitzius alicubi pronuntiavit, sine dubio erravit, quod liceat ostendere.

Verissime Richterus l. l. p. 1—6 demonstravit, Callimacheum hymnum in Jovem non scribi potuisse nisi eo ipso anno, quo regnum a patre ad Ptolemaeum Philadelphum filium delatum est, i. e. anno 285. Dilucidissime enim patet e versibus 58—59: τῷ τοι καὶ γνωτοὶ προπερηγενέες περ ἐόντες οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν ἐπιδαίσιον οἶκον (noli omittere, aulicum hic loqui poetam), quae verba dici non potuerunt nisi, priusquam fratres maiores natu Philadelphi seditionem facerent [1]). Quid autem quod Couat l. l. p. 204 sic statuit: „Nous avons vu plus haut Callimaque parler de Ptolemée comme d'un roi déjà signalé par quelques hauts faits; cf. vv. 66—67: οὔ σε θεῶν ἐσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν, σή τε βίη τό τε κάρτος, ὃ καὶ πέλας εἵσαο δίφρου."

Quos tamen versus quis est quin videat, referendos esse ad Jovis certamen cum Titanibus, quibus demum devictis οἱ θεοὶ ὤτρυνον βασιλευέμεν . . εὐρύοπα Ζῆν? cf. Hes. theog. 881 sqq.

Alii viri docti (cf. etiam Couat l. l. p. 201, Hempel. l. l. 89) putaverunt, in verbis περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν (v. 86) inesse allusionem ad Philadelphi „gloriam militarem et bellicam." Verissime tamen Richterus l. l. p. 5—6 animadvertit, vv. 87—90 nequaquam intellegendos esse de potentia Philadelphi, sed de prudentia atque intellegentia; atque hanc ob causam necesse esse, ante v. 85 unum saltem excidisse versum (similiter Meinek. edit. Call. p. 133—4), quo hoc fere dicendum fuisset: „sed etiam sapientiam regibus dedisti", tum sequi verba πᾶσι μὲν sqq. Unde sequitur, verba περιπρὸ sqq. (v. 86), utcunque legenda sunt, non ad potentiam gloriamque bellicam sed ad prudentiam Ptolemaei referenda esse.

---

duo finita (cf. vv. 168—170); fuerunt autem bella per unum tantum fere annum. Vides Callimachum (cf. v. 252) imitari potuisse idyllii VII, v. 47, quod supra dixi Alexandriae scriptum esse brevi post Theocriti Alexandriam adventum.

[1]) Insulsissime Couat l. l. p. 204 sic adnotavit: „Si plusieurs années s'étaient déjà écoulées d'un règne prospère, l'allusion devient encore plus naturelle. Qui eût alors songé à plaindre les infortunes de Céraunos et d'Argaeos?" Similiter Hempelius l. l. p. 89: „inest in vv. 58—9 adulatio vel maxima. Ceraunus enim, inquit Callimachus, concedere tandem statuit, cum te et prudentissime et felicissime res agentem videret, sicuti Iovem fratres."

Scriptus igitur est hymnus I, quo Callimachus Philadelphum voluit celebrare, sine dubio anno 285. Theocriti autem c. XVII cum scriptum sit circa 273/2, sequitur, Theocritum carmen XVII expressisse ad exemplum hymni illius Callimachei [1]).

Sed iam redeo ad c. XXVI, quod praebet nonnulla, quae in ceteris Theocriti carminibus non legantur; quid autem quod forma εὐθὺ (εὐθὺς legitur in cc. XI, 22, XII, 15, XVI, 18, XXIV, 23, XXIX, 27) eadem sede legitur in Callim. h. II, 103? cf. Schneider. ad h. I, 86 et Jacobsium ad Anth. Pal. III, p. LXXVI sqq. Quid porro quod optativus χαίροι v. 33 pro usitatiore imperativo χαῖρε (cf. id. XV, 149, XVII, 135) invenitur in eodem hymno IV (cf. v. 326), ex quo (cf. v. 98) sumpta sunt verba versus 30 carminis XXVI? Vides utique, e versu 30, qui similiter legitur apud Callimachum, nihil argumenti repeti posse ad c. XXVI Theocrito abiudicandum. Quin etiam hoc carmen, quod nullas sane praebet sive dialecti sive rei metricae discrepantias ab usu Theocriteo, videtur mihi quidem nihil indignum esse ingenio Theocriti. An credis, auctorem diversum a Theocrito prodi oratione abrupta, quae nobis occurrit in vv. 16, 18, 19, 20, 27, 31, 32, 32, 38? At quis est quin videat, abruptam hanc orationem non dico postulari attamen multum excusationis habere ratione argumenti ipsius? Verissime enim pronuntiavit Dilthey, ephem. archaeol. 1879, 47: Es giebt dies Gedicht uns keine geringe Vorstellung von dem Vermögen der hellenistischen Erzählungspoesie, ihren Compositionen Stimmung und Farbe zu geben. Denn hierin, nicht in glänzenden Bildern und Worten, liegt die grosse Schönheit dieses Gedichtes, die, weil sie sich nicht bestechlich aufdrängt, nicht gewürdigt worden ist. . . In feierlich abgerissener, gedrungener, wuchtiger Erzählung wird das erschütternde Ereigniss blitzschnell an uns vorübergeführt u. s. w.“ Similiter iudicavit etiam Couat l. l. 405.

v. 3. Verba λασίας δρυός eadem sede reperiuntur in epigr. V, 5, attamen hoc ex epigrammate nihil potest concludi, cum subditicium sit.

---

[1]) Compositio carminis Theocritei multa habet communia cum compositione hymni Callimachei, cf. Hempelium l. l. p. 82 sqq. et tabulam, quam apposuit post pag. 92. Cf. porro c XVII, 116 cum h. I, 1—2, XVII, 1 sqq. cum h. I, 1—2, c. XVII, 71—72 cum h. I, 68—69, c. XVII, 73—74 cum h. I, 79—80, c. XVII, 135—136 cum h. I, 94—6.

Ad χαί μὲν Fritzschius comparavit VII, 90: χῶ μέν. Voc. λάσιος autem fuit in deliciis Theocriti, cf. adn. ad XXV, 134.

v. 6. Ad χερσὶν ἑλοῖσαι cf. id. III, 40: ἐν χερσὶν ἑλών.

v. 12. Haud necessaria est mutatio Meinekii Αὐτονόα πράτα in πράτα δ' Αὐτονόα, cf. XXII, 85 (Fritzsch.). Ad δεινὸν ἀνέκραγε cf. id. XXV, 137: δεινὸν δ' ἐβρυχῶντο.

v. 13. Ad σὺν δ' ἐτάραξε cf. XXII, 90: σὺν δὲ μάχην ἐτάραξε; cf. Fritzsch. ad XXII, 90.

v. 14. Voc. βέβηλοι in clausula versus legitur etiam III, 51, cf. Call. h. VI, 3. Pro ἐπιοῖσα eadem sede legitur ἐπιόντα XIV, 60, XXIV, 128. ἐπιόντος XXII, 89.

v. 15. Ad μὲν θ' aptissime Fritzschius comparavit XXV, 92. Cum ἄλλαι pro αἱ ἄλλαι cf. XXII, 126.

v. 17. Verba πέπλως — ἐρύσασα eundum produnt auctorem qui scripsit id. XIV, ubi (v. 35) sic legitur: ἀνειρύσσασα δὲ πέπλως. Fritzschius porro comparavit VII, 17—18: ἀμφὶ δέ οἱ στήθεσσι γέρων ἐσφίγγετο πέπλος ζωστῆρι πλοκερῷ.

v. 18. Eodem loco quo κέχρησθε est, legitur XVI, 73 κεχρήσετ', XXV, 101 κεχρημένος.

v. 20. E verbis κεφαλὰν μυκήσατο παιδὸς ἑλοῖσα idem agnoscitur auctor qui scripsit c. XXIV; cf. v. 6: ἁπτομένα δὲ γυνὰ κεφαλᾶς μυθήσατο παίδων; cf. ad collocationem verborum etiam XXII, 75: κόχλον ἑλὼν μυκήσατο κοῖλον.

v. 21. Voc. λέαινα eadem sede legitur II, 68, III, 15; forma τελέθει eodem in versus loco est X, 50.

v. 26. Lusum illum etymologicum Theocritus hausit ex Eurip. Bacch. 367 (ed. Kirchh.); cf. etiam Od. I, 59, XXIV, 465—6, XVIII, 73, Aesch. Agam. 665—6 (ed. Kirchh.), 1034, Sept. 560 sqq., 810—11, 131, Prom. 731 sqq., 838—39, 847 sqq., cf. 802 cum Her. IV, 27 et Eustath. ad Dionys. Perieg. 31; Eurip. Phoen. 636—37 al.

v. 27. Verba οὐκ ἀλέγω reperiuntur XV, 95.

v. 30. Ad hunc versum perapte comparari potest XI, 63: ἐξένθοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο; alia exempla congesserunt Fritzschius et Hillerus ad h. l.

v. 31. Ad voc. αἰετὸς Fritzschius comparavit XVII, 72. Adnotavit porro haec Fritzschius: „Libenter Theocritus hanc praepositionem ἐκ cum deorum nominibus copulavit, ut originem unde res vel factum flueret indicaret, cf. II, 30, VII, 44, 55, 129.

v. 32. Ad collocationem verborum εὐσεβέων — δυσσεβέων cf. XXV, 125: ζωοτόκοι — θηλυτόκοι (Fritzsch.).

Syrinx.

Syrinx carmen figuratum illud sub Theocriti nomine legitur in Anth. Pal. XV, 21 atque re vera hoc carmen a Theocrito esse scriptum, persuaserunt sibi Bergkius (Anth. lyr. LXXII), Wilamowitzius (de Lycophronis Alessandra, in ind. schol. gryphisw. 1883, p. 12—13) al. Ahrensius in edit. II. LXVIII vocat hoc carmen „nugas a Theocrito alienissimas"; Ahrensium secutus est Hillerus p. 296.

Atque Wilamowitzius sic fere argumentatus est: „Codices tribuunt hoc carmen Theocrito; Theocritus vocatur Simichidas; invenitur fabula Comatae, quae est etiam in id. VII. Est igitur Σῦριγξ re vera Theocriti, praesertim cum aetas Alexandrina etiam complura crearit artificia metrica [1]). Syringis porro locos nonnullos imitatus est Dosiades [2]) ille auctor figurati carminis Arae (cf. Anth. Pal. XV, 26); in Ara mentio fit creticae fabulae Tali; est igitur Dosiades Cretensis [3]) atque latet sub nomine Lycidae [4]) illius caprarii Cretensis, qui commemoratur VII, 12 sqq." Vides, Wilamowitzii coniecturam quamvis sit ingeniosa certis tamen fundamentis carere. Nam nonne illud quoque potest cogitari, Σύριγγα scriptam esse sive a Dosiada ipso sive ab aliquo alio auctore, qui ut Theocritum [5]) ita etiam Dosiadam imitatus est?

---

[1]) Cf. praecipue Lycophronis Alessandram, quod carmen mihi persuasi, notum fuisse auctori Syringis; cf. Lyc. Aless. v. 1034: παπποκτόνος cum Syring. 10: παπποφόνος; ad Syring. 2: Ἀντίπετρος cf. Lyc. Aless. 1201: τὸν ἀντίποινον ἐκλάψας πέτρον. Etiam Dosiades novit Lycophronis Alessandram; cf. Arae v. 11: Τριέσπερος cum Aless. v. 33: τριεσπέρου λέοντος (cf. schol. ad h. l. ed. Kinkel); cum Arae v. 17: ἰλιοραίστας cf. Aless. 63: Γιγαντοραίστης, 38: τεκνοραίστης, 210: πολιῤῥαίστης.

[2]) Cf. Syr. v. 1: οὐδενὸς εὐνάτειρα cum Arae v. 16: Πανὸς ματρὸς εὐνέτας; cf. Syr. v. 5: δίζων cum Arae v. 17: δίζωος; cf. Syr. v. 14: στήτας cum Arae v. 1: στήτας; cf. Syr. 12: Πάρις (= Θεόκριτος) cum Arae v. 10: Θεοκρίτοιο (= Πάριδος).

[3]) Vulgo Dosiades vocatur Rhodius item atque Simmias, auctor ille complurium carminum figuratorum.

[4]) Ribbeckius (preuss. Jahrb. 1873, vol. 32, p. 79, Anm.) coniecit, sub Lycidae nomine latere Astacidam Cretensem, qui disertis verbis a Callimacho (ep. XXII, 1) vocatur αἰπόλος.

[5]) Ad Syring. v. 3 cf. id. VII, 78—85; ad vv. 7—8: πᾶξεν — ἕλκος cf. id. XI, 15 ἕλκος πᾶξε; nomen Simichidae repetitum est ex id. VII; cum v. 17: ἁδὺ μελίσδοις cf. id. I, 1—2.

Nihil autem concludi potest ex verbis ὦ τόδε — πᾶμα Πάρις θέτο Σιμιχίδας; nam nonne similiter Theocritus ipse loquens inducitur in epigr. XXII (Ἄλλος ὁ Χῖος sqq.) et in id. IX versibus 28 sqq.? Sed utut est, ego quidem animum inducere non possum existimare, Σύριγγα, artificium illud metricum, scriptam esse ab eodem illo Theocrito, cuius cetera carmina mirum quantum prae se ferunt simplicitatem naturalem. Huc accedit quod Σύριγξ carmen fistulam monstrat non ἑπτάφωνον s. ἐννεάφωνον sed δεκάφωνον [1]) (cf. Hilleri adn. ad VIII, 18 et Fritzschium ad h. l.)

Carmen εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν quin propter similitudines cum Bionis epitaphio Adonidis et propter Theocritei carminis XV versus 100 sqq. in collectionem bucolicorum scriptorum irrepserit, dubium non est. Serioris autem aetatis auctorem apertissime indicat forma ὅλαν v. 44.

Epigrammata.

Aliquid certi de epigrammatis hoc loco statuere haud audeo propter difficultatem, quam parat haec quaestio. Neque tamen volo supersedere in universum pronuntiare, quae adhuc quidem sentiam.

Epigr. I: nulla videtur causa esse cur hoc carmen Theocrito abiudicemus, nisi eo offenderis, quod v. 6 τέρμινθος commemoratur, cuius plantae Theocritus nusquam mentionem fecit; potius Theocritus capras facit vescentes κομάρῳ. Legitur autem voc. τέρμινθος eadem sede pentametri in Meleagri epigr. I, 30. Ad κεραὸς τράγος v. 5 cf. id. I, 4; verbum τρώγειν v. 6. Theocriteum est, cf. id. I, 147: ἰσχάδα τρώγοις. IV, 45 τὸν θαλλὸν τρώγοντι.

Epigrammata II—VI bucolicas res tractant, neque tamen sunt Theocriti, cum nonnulla inveniantur, quae abhorreant ab oratione Theocritea.

Epigr. II in Anth. Pal. VI, 177 ἀδέσποτον est; v. 1: locutio σύριγγι μελίσδειν Theocritea non est, cf. autem id. XX v. 28; v. 2: offendit dictio βουκολικοὶ ὕμνοι, pro qua Theocritus dixisset

---

[1]) Cf. Birtium, das antike Buchwesen, p. 397. Probavit autem Birtius sententiam Salmasii, Syringe δεκαφώνῳ significatum esse numerum decem carminum Theocriteorum bucolicorum; quem eundem numerum imitatus est Vergilius auctor decem eclogarum. Quae Salmasii coniectura multum habet verisimilitudinis. Sequeretur tum, Σύριγγα scriptam esse iam ante Artemidori tempora, cum numerus ille decem carm. bucolicorum non efficiatur, nisi adnumeraveris subditicia cc. VIII et IX.

βουκολικὰς ἀοιδάς; v. 3: δόναξ instrumentum apud Theocritum non invenitur, cf. autem id. XX v. 29 et adn., ad h. l.

Epigr. IV. Theocriti non est; Theocritus enim non induxisset pastorem amore Daphnidis captum. Est autem hoc epigr. auctoris, qui complures locos Theocriteos imitatione expressit, v. 2: ad ἀρτιγλυφὲς cf. I, 28: νεοτευχὲς ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδων. v. 3: voc. αὐτόφλοιον eadem sede est XXV, 208; ad παιδογόνῳ — Κύπριδι v. 4 cf. Dioscorid. epigr. in Anth. Pal. V, 54, 2, ubi eadem sede est παιδογόνῳ — Κύπριδι; ad v. 8—9 cf. id. I, 29 sqq.; v. 9: verba λιγυφθόγγοισιν ἀοιδαῖς similiter sunt in Mnasalcae Sicyonii epigr. in Anth. Pal. VII, 192: λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις (de locustis); ad ποικιλότραυλα μέλη, v. 10 cf. Mnasalcae ep. in A. Pal. IX, 70, 1: τραυλὰ μινυρομένα (de luscinia); cf. nostri epigr. v. 11 verba: ἀδονίδες μινυρίσμασιν ἀνταχεῦσιν; v. 12: verbum μέλπειν Theocriteum non est; ad τὰν μελίγαρυν ὄπα (de luscinia) v. 12 cf. epigr. ἀδεσπ. in Anth. Pal. VII, 44, 3: μελίγηρυν ἀηδόνα; verba χαρίεντι Πριήπῳ eadem sede inveni in Satyri epigr. Anth. Pal. X, 6, 7; ad λάσιον τράγον (v. 17) cf. id. VII, 15: λασίοιο τράγοιο; ad ἄρνα σακίταν (v. 18) cf. id. I, 10.

Epigr. V, v. 1: Theocritea non est dictio αὐλοῖς ἀείδειν, quod item dicendum est de verbo μέλπεσθαι, v. 4; verba λῇς ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν sumpta sunt ex id. I, 12; ad ἁδύ τι (v. 2) cf. id. I, 1; instrumenti πηκτίς Theocritus mentionem nusquam fecit; v. 3: verbum κρέκειν Theocriteum non est; v. 4: offendit enuntiatio κηρόδοτον πνεῦμα; v. 5: verba λασίας δρυὸς eadem sede sunt in c. XXVI, 3; v. 6: Πὰν vocatur αἰγιβάτης in Ath Pal. XII, 128, VI, 99, XI, 35, 1: χιμαιροβάτῃ; XI, 128, 2 (ep. Meleagri): αἰγιβάτῃ; cf. epigr. Leonid. Tar. in A. P. VI, 31, 1. Suspicor autem hoc epigr. esse Meleagri, qui similia tractavit argumenta similiaque praebet enuntiata V, 139: ἁδὺ μέλος, πηκτίδι μέλπεις, ἁδὺ κρέκεις τι μέλος; V, 174, 3: verbum θέλγειν in clausula versus legitur; cf. XII, 128 aliaque epigrr.

Epigr. VI. Thyrsis est αἰπόλος, cum in id. I sit ποιμήν. Verba ἀνίκα τήνας sqq. expressa sunt ad id. IV, 15: τήνας μὲν δή τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται τὠστία.

Restat unum epigr. III, quod ipsum quoque (cf. etiam Ahrensium in Phil. XXXIII, p. 609) Theocrito abiudicare haud dubito, nam Theocritus procul dubio bucolicas res in epigrammatis saltem omnino non expressit. At verba σῶμα κεκμακὸς ἀμπαύει (vv. 1—2) cf. id. I, 17: κεκμακὼς ἀμπαύεται;

Epigr. VII (cf. Anth. Pal. VI, 337) Theocriti est propter Niciam amicum Theocriti commemoratum.

Epigr. VIII in Anth. Pal. VII, 660 merito attributum est Leonidae Tarentino; huius enim poetae est dictio γῆν ἐφέννυσθαι (cf. Leon. Tar. ep. LXVIII: τί πλέον γῆν ἐπιέννυμεθα); cf. eiusdem poetae epigr. LXXVI, vv. 5—6: οὐ μὴν οἱ δαίμων πάντη κακός. ἀλλ' ἐνὶ γαίῃ | πατρίδι καὶ τύμβου καὶ κτερέων ἔλαχε sqq. cum nostri epigr. vv. vv. 3—4: ἀντὶ φιλῆς δὲ | πάτριδος ὀθνείην κεῖμαι ἐφεσσάμενος. Ad argumentum huius epigr. cf. epigr. Antipatri (A. Pal. VII, 398, 5—6: ἀλλά τις ὄρφνης δειμαίνοι μεθύων (pari sede) ἀτραπὸν ὑετίην.

Ad epigr. IX sic adnotavit Meinekius (anal. alex. 237—38): „Primo disticho in Anth. Plan. p. 253. Steph. Theocriti nomen praescriptum est, unde totum poemation temere inter Theocritea epigrammata receptum est. Palat. hanc habet epigraphen: Αἰτωλοῦς Αὐτομέδοντος sqq. . . . Egregie mihi placet Jacobsii sententia Alexandri nomen supplentis et ante Αὐτομέδοντος addentis particulam ἢ sqq."

Epigr. X non est, cur Theocrito abiudicemus; ad v. 1: κεχαρισμένον ἐννέα πάσαις cf. id. XI, 6: ταῖς ἐννέα — πεφιλημένον . . . Μοίσαις; voc. μουσικὸς (v. 3) reperitur id. X, 23.

Epigr. XI in Anth. Pal. VII, 661 Leonidae nominatur. Meinekius in edit. p. 404, putat, re vera hoc epigr. esse Leonidae.

Epigr. XII. Causa non est cur Theocrito abiudicemus; ad v. 2 cf. Dioscoridis (vixit c. 200 a. Chr.) epigr. in A. Pal. VI, 290: Παρμενὶς ἡδίστη θῆκε παρ' Οὐρανίῃ.

Epigr. XIII. Theocritus potest auctor cogitari.

Epigrammata XIV—XV eiusdem sine dubio sunt poetae; in Anth. Pal. VII, 658 legitur: Θεοκρίτου, οἱ δὲ Λεωνίδου Ταραντίνου praefixum priori epigrammati, alteri epigrammati est inscriptio τοῦ αὐτοῦ.

Epigr. XVI sine dubio est Theocriti; ad θᾶσαι (v. 1) cf. id. I, 149; ad εἴ τι περισσὸν (v. 4) cf. VII, 4: εἴ τι περ ἐσθλὸν χαῶν τῶν ἐπάνωθε; ad ᾠδοποιὸς voc. cf. epigr. XX, 3 et XXI, 1 (μουσοποιός).

Epigr. XVII Theocritus scripsit εἰς Ἐπίχαρμον, quem constat Co in insula esse natum; ibidem Theocritus quoque complures per annos moratus est; statuam denique Epicharmi a Syracusanis exstructam Theocritus sine dubio Syracusis in urbe ipsa vidit.

Epigr. XVIII in Anth. Pal. VII, 663 Leonidae adscriptum est. Theocrito cogitari potest hoc epigr. assignatum esse propter id. II, 70: ἁ — Θρᾷσσα τροφός.

Epigr. XIX in Anth. Pal. VII, 664 sine nomine poetae, sed proxime sequenti epigrammati adscriptum τοῦ αὐτοῦ Λεωνίδου. Jacobsius hoc epigramma ad Leonidam referendum esse dixit, cf. Meineck. p. 408.

Epigr. XX sine dubio est Theocriti; cf. praef. ad c. XXV; ad τῶν ἐπάνωθε (v. 3) cf. id. VII, 5: τῶν ἐπάνωθεν; ad μουσοποιός (v. 3) cf. epigr. XVI, 4: ᾠδοποιός; ad ἔστασ' — χάλκεον (v. 7) cf. epigr. XVII, 3: χάλκεον ἀνέθηκαν et id. X, 33: χρύσεοι — ἀνεκείμεθα;

Epigr. XXI non est cur Theocrito abiudicemus; ad μουσοποιός (v. 1) cf. epigr. XX, 3.

Epigr. XXII. Theocriti non esse, supra iam disserui.

Epigr. XXIII in Anth. Plan. p. 28 Leonidae vocatur.

Epigr. XXIV num Theocriti sit, in medio relinquo; de Glauca cf. id. IV, 31.

Epigr. XXV in Anth. Palat. VII, 662 Leonidae vocatur; verba ἐν ἑτοίμῳ eadem sede sunt in id. XXII, 61.

Denique volo animadvertere, in universum me plane consentire cum Ahrensio, qui in Philol. XXXIII, 609 sic dixit: Theokrit scheint nur für praktische Zwecke Epigramme gedichtet zu haben.

Vita.

Natus sum Carolus Brinker Cal. Sextil. a. h. s. 58 Krackowii in urbe Megalopolitana a patre Ludovico et matre Luisa e gente Brinkmann, quos adhuc vivere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a patre ipso aliisque magistris ludi popularis, qui est in patria mea, imbutus puer duodecim fere annorum receptus sum in quintum ordinem gymnasii (in patria occasio mihi data fuerat et latinae et franco-gallicae linguae elementa discendi) Warenensis, quae schola tunc florebat claris auspiciis salutarique regimine Brieglebii, viri cum litterarum haud inscii tum praecipue artis docendi educandique periti, ut qui maxime, qui cum compluribus annis post Magdeburgum in urbem sedes transferret, cives discipulique Warenenses lugubres paene sumpserunt vestes; Holleium invenit Brieglebius successorem ipsum quoque dignum qui a discipulis colatur atque diligatur. Viginti fere annorum adolescens paschali tempore a. h. s. 78 maturitatis adeptus testimonium almam matrem Rostochiensem adii, ut philologicis studiis operam navarem, quae in studia incubui sex fere annos; perfructus autem sum scholis professorum Rostochiensium Fritzsche, Foerster, Bechstein, Henr. de Stein, Schirrmacher, Kaibel et Berolinensium (in universitate Friderico-Guilielmia Berolinensi scholas frequentavi inde a paschali tempore a. h. s. 80 usque ad paschale tempus a. h. s. 81) Kirchhoff, Huebner, Muellenhoff, Geiger, Paulsen, Lasson, quibus omnibus viris doctissimis et praestantissimis hac opportunitate propalam gratias ago quam maximas. Nunc examine pro facultate docendi absoluto Rostochii in urbe commoror in gymnasio candidati probandi fungens munere.